



DE VSVRIS TRACTATVS VTILISSIMVS, INSTRVCTIONEM

tam Practicis quàm Theoricis proponens, in qua quis olim & quis nunc sit vsus vsurarum, proprijs Historijs & legibus congruis apertissimè declaratur, præmissa sufficienti refutatione argumentorum omnium quæ aduersus vsuras ciuiles flecti consueuerunt, quibus expositio Tit. de vsur. ex lib. 22. ff. adiuncta est & C. eod. mixtim.

Petrus à Vuell Iureconsult.





COLONIAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Cum priuilegio Cæsar. Maiest. ad decennium.
ANNO M.D.LXIIII.

AVCTOR AD BENEVO-
lum Lectorem.

Fertur in his hodie quæ scripsimus amplus abusus
 Vsuræ, cuius prouenit arte lucrum:
An sit & ars? quod & officium, quis et aptior vsus
 Vsuræ, monstrat pagina nostra tibi.
Candide Lector, ames simul ista nouella sequētūm
 Post alios rerum cernere scripta, nocens
Neue tibi mentem formet censura, priusquàm
 Legeris ad calcem fine peracta suo.
Tamq; placere tibi (iucunda per vtile dici
 Quippe recognosces) quàm peto vt ista legas:
Legibus ipse recens vsuræ quæritur ordo
 Illaq; nunc recta est credita praua prius.
Erectum procùl hinc procùl inde videbis abusum
 Qui quasi erat pridem vipera dira, vale.

CLARISSIMIS SAPIENTIA, VIRTVTE, ET ERVDITIONE ORNATISsimis dignissimisque viris & Dominis, Consulibus, ac Senatoribus inclytæ Reipu. Vuesaliensis administratoribus, Dominis suis colendis, S. D.



Abor in re bona & vtili honestus esse rectè & ordine ab ingenuis viris cēsetur, ac vt ait Poeta, in re tenui labor at tenuis non gloria &c. Putaui igitur non alienum à me esse cùm in iuris studio verser, nec etiam abs re euenturum, si & meam hanc operam in titu. ff. de vsuris positam luci traderem, non quod in animū induxerim tot scriptis clariss. virorū in iure ciuili extātib. meū illis conatū annumerandū, multo minus præferēdū, (*quid enim contendat hirundo Cygnis, aut quid nam tremulis facere artub. hœdi Consimili in casu possunt, & fortis equi vis? vt ait*

Lucretius lib. de rer. na. 3.) ſed cùm laborem impendiſſem', quemadmodum exiſtimo, vt vtilis declaratio dicto Titul. de vſur. qualicunque mea induſtria accederet, in uulgationem ſeu publicationem eius non ratus ſum diutius prętermittere. Cùm igitur hoc iampridem mecum reuoluerem & expenderem, arbitratus ſum oportunum fore, ſi id ita agerem, meamq́; partem & modulum ſicut alij, ad terminos vſuales ſanctiſsimi Iuris Ciuilis (vt id Vlpianus alibi vocat) in commune conferrē, quippe quod faciunt alij cur tibi turpe putes? Accedit quod Socrates apud Xenophontem grauiſsimè pronunciat, generoſum eſſe & omni fauore dignum ingenium cui ſint cordi Politicæ diſciplinæ, quod haud ſcio an commodè fieri

poſsit

posſit ſaltem cum effectu & fructu quodam ſtudioſorum fertili ſegete, ſine hac Iuris Theōrica, vnde ſapienter dixit Baldus in L. Æmilius ff. de Minoribus. Leges in Scholis deglutiuntur sed in foro ſiue in ipſis rerum experimentis tandem digeruntur. Illud certè negari non poteſt eam partem eruditionis quæ in conſideratione Legū ciuilium conſiſtit & verſatur, inter artes præſtare & excellenter eminere, cum præfatæ politicæ leges rectè intellectæ & non detortæ in peregrinum ſenſum ad Decalogum diuinæ voluntatis erga genus humanum normam referentem, congruant, lumenq; totius vitæ ſint. Porrò quod ad traditam & datam meam expoſitionem in hoc tractatu attinet, nihil in medium adferam audacius, ſubijcio eam

candido & docto lectori, qui si oĩa narrationis veritati cõtulerit, facile (vt equidẽ confido) eã iuriũ præceptis & axiomatib. conformẽ & affinẽ deprehendet, odi aũt male mediocri candore carẽtes, (veluti cùm sit,

Ille sapit solus volitant alij velut vmbra
Arrogat omne sibi doctus, ineptus homo,
Inuidus es nec enim faceres hæc candidus vnquam
Pectore te solùm cum sapiente putes.
Despicias alios & proijcis impia dicta
Fac alijs fieri quod cupis ipse tibi.)

Qui proniores sunt ad calumniam quàm ad laudem.

Sic vbi nemo parem summo se præstat Homero
Censor Aristarchus quilibet esse cupit.

Potest siquidem esse quod humana parũ cauit natura, vt ait Horati. in quo tamen errore & hallucinatione, quæ tenaciter hominib. inhęrere cõsueuit, declinãda, nõ diffiteor me operã dedisse, vt videlicet nihil peregrinũ aut alienũ verbis textus inse-

reretur

retur, aut etiã odiosa nausea obrepe ret lectori quod magnopere cauen dũ erat: Deinde etiã ne interpretatio nimiũ excresseret, prolixiusq́ꝗ decet & interpretis ordo ꝑmittit, locorũ allegatiõe luxuriaret. Illud verò quod alicui in mentẽ venire posset, me nimirũ in hoc negocio videri Iliada post Grecorũ poëtã canere (vt fert ꝓuerbio) cũ aliq in eodẽ causę huius stadio cucurrerint, silẽtio ꝑtereundũ nõ est, sed ei molliter obuiandũ, scilicet cuiq; liberũ relinqui iuris studioso, apꝓbare eos ex quorũ labore segetẽ & fructum alique suis studijs accedere & obueni re posse speret, vel etiã posthabere, aut saluo scribentium honore eos quorum lectionem sibi sterilem & infoecundam existimet, pręterlegęre. Interim cordati animi est, rem ex

veritate non ex multitudine aucto-
rum quod melius & æquius est, iu
dicare et decernere, cùm posſit & de
terioris ſententia & multos & mo-
iores aliqua in parte anteuertere &
ſuperare §. ſed neq; in præfatio. ff.
ad Tribonia. quid porrò vetat com
plures interdum florentibus inge-
niis præditos à veritate quò ſagaci
us eam inueſtigant eò longius ab-
eſſe, quam tamen agnoſcat vnus a-
liquis poſtremæ etiam claſsis L. 1.
circa medium verſic. cum poſsit C.
de veteri Iuri enuclei. Eſt enim hoc
veriſsimum, duo cùm faciunt idem,
non eſt idem, & magna eſt differen
tia artificum L. inter ff. de pœnis.
Neq; ab aliis qui ſimile argumen-
tum tractarunt præſentia deſumpſi
hinc inde compilando, ſed fontes
doctrinarum conſului, eaq; quę in
medi-

medium allata ſunt, vſu ita ſe habere dum in iure verſatus ſum paſsim annotando comperi. Quid autem in hoc negocio conatu effecerim viri boni arbitrio permitto diſcutiendum (accipimus autem virum bonũ ſecundum Horatium, qui decreta patrum qui leges iuraq́ꝫ callet) ſemidoctos rerum æſtimatores quales ſunt plerunq́ꝫ quibuſdam ſummulis Bartoli leuiter imbuti, nemo cauere poteſt, quos & ſatius eſt vnius æſtimare aſsis. Demoſthenes inquit, facilius eſt reprehendere quàm imitari: Ac illud aduerſus calumniantes notorium eſt, Zoilum olim bonorum virorum reprehenſorem alto ſaxo in certamine Olympico præclaris viris id factum approbantibus præcipitatum humum fuiſſe, ſed hæc quondam quę tamen

nunc etiam forsan possent pondus habere suum. Cæterùm cùm moris sit viri præstantissimi, Consules, Senatores, gubernatores vniuersi & singuli egregiæ Vrbis Wesaliȩ humanissimi Domini, literatos homines alijs dominis magnisq́ viris suum laborem dedicarȩ & transmittȩre, quæ consuetudo olim dignȩ existimationis habita est, eam maximè ob causam, quod studia artium familiaritatem quandam haberc debȩre credebantur cum excellentibus viris & fœlicibus rerum Politicarum præsidibus quorum numero meritò asscribendi estis, cùm res ipsa id luculenter declaret. Vnde celebris fama artium & insigniũ bonorum indagatrix Græcia, (dum fortuna fuit magnis accrescere rebus) quamuis in obseruandis suis Mysterijs

ſterijs commentitio figmento occul tior, protectior, obſcurioribusq; ſacrorum ambagib. reconditior, Herculem Muſagetem velut Muſarum Doctorem peritiſsimum & ornatiſſimum non abſque ratione nuncupaſſe fertur, poſterisq; innotuit. Deinde porrò lapſu temporum Flauius Nobilior nouẽ Muſarum ſimulachra in ędem Herculis à ſe votam & conſecratione ſolenni dedicatam ex Ambraſiæ manubijs tranſtuliſſe memoratur, qua alia ratione id factum ſit non animaduerto, quàm quod ſapientes viri & prouidi domini intelligerent, quo pacto viciſſitudinarijs officijs, & literæ & Politicorum egregiorum virorum res & negotia veluti deuincta inter ſeſe viderentur & eſſe deberent.

Quæ cùm ita ſint adductus ſum, cùm & patriæ amorem debeam & obſeruantiam hoc meum ſcriptum ad V. P. & E. mittere, nec enim iam gratior vlla eſt

Quàm ſibi quæ veſtrum præſcripſit pagina nomẽ;

Exploratum ſiquidem mihi eſt in illo veſtro ordine Senatorio honorificentiſsimo, multis doctiſsimis viris inſtructiſsimo literas & bona ſtudia condignum locum obtinere, meritoq́ eum gaudere eruditorum aſſenſu & comprobatione. Accipite igitur nunc à me qua conſueuiſtis humanitate hanc noſtri laboris aſsignatam V.P.& E. dedicationẽ, meę erga illum ordinẽ obſeruãtię teſtimoniũ: Non ſatis quidem apparatu & ſplendore pompoſus ille meus labor fuerit, attamen modeſtus, qui & ſi optimis tantum probatus

tus fuerit, non tenuem impensæ diligentię fructum me consecutum arbitrabar. Fœliciter valete, Deusq́; Opt. Max. vestram vrbem Rempublicamq́; diu beatam eximijsq́; viris florentissimã, conseruare & tueri, quotidieq́; magis magisq́; crescẽtem cum insigni fauore & laude vicinorum oppidorum attollere dignetur. Datũ Coloniæ Agrippinę, Anno Domini 1564. Mensis Iunij decima, qua die Fredericus Barbarossa Imp. contra Sarracenos mouens, in minore Armenia, Selephium amnem ingressus, miserè perijt, Anno Christi 1190.

Petrus à Vuell Iure.

DE VSVRIS TRACTATVS VTILISSIMVS, INSTRVCTIONEM

tam Practicis quàm Theoricis proponens, in qua quis olim & quis nunc sit vsus vsurarum, proprijs Historijs & legibus congruis apertissimè declaratur, &c.

EXORDIVM.



ETVS dictum, est humanissime Lector, contraria iuxta se posita & ad inuicem relata magis elucescere, & clariora effici intellectu, quod profectò rectissimè prolatū memoratur à sapientibus. Ac huius dicti viam Iureconsultos creberrimè & constanter ingressos in inquisitione veritatis, legenti Leges Romanas quasi spontè venit obuiā & innotescit, quia cum veritas à paucis conspiciatur & varijs variarum rerū velut inuolucris, nunc hæc nunc illa modò vtraque in inuestigatione æqui & boni oculis nostris obuersentur, opus fuerit in vtramque partem pro & contra (vt dici consueuit) in dubiam & controuersam (qualis imprimis est

 doctri-

doctrina vsurarum) agitare & voluere, donec ex ista crebra inquisitione verum ipsum arripiamus, et demum quiescamus: quod medium in hac de vsuris materia medocriter inquirere si nō assecutus, quod æquus vir arbitrabitur, certè conatus nō semel sum; quodque quale sit, eruditi agnoscere poterunt maximè in hoc negocio vsurarum qui tractatus multò difficillimus est, habet enim plurima ἄπορα & vix vnquam satis bene intellectus, omitto plurima in hac re friuolè à multis adducta, quibus rem ipsam magis obscurauerunt quàm explicarunt; nec tamen eos qui de eadem hac materia scripserunt reprehendere videri velim, cùm aliqua vtiliter & cum fruge tractauerint. Neque hic tam alijs notandis vigilaui, quàm patefaciendæ veritati, quæ solo ex vsu perfectius arripitur, quod ipsum si ita sit docti lectoris arbitrio & censuræ permittimus, qui haudubie cernet multos iuris apices perplexos nodos & difficillimas Antinomiarum intricationes hic in consonantiam resolui & expediri superfluis distinctionibus additionibusq; reiectis, vsum etiam fori Theoricesq; modestè monstrauimus per expressum. Certè cùm à paucis verius à nullis quid sit vsura intelligi poterit sine exemplorum allegatione hoc tempore vsitatorum, vmbrosum est, duntaxat, non perlucidum solis lumen, cuius vsura quotidie omnib. de cælo datur largißimè à patre luminum lucem inacceßibilem habitante, tradere iura sine indice vsus, qua de causa vsitatæ quæstiones in negocio & statu vsurarum quæ hodierno & mo

derno

derno tempore moueri consueuerunt, hic proponun-
tur, quas qui perceperit, obuiare facilè poterit illis
qui in vniuersum imperitè vsuras damnant et pro-
scribunt, cùm hoc vocabulũ nullo modo sit fœdũ per
se, quid enim peccauit hoc ipsum vsuræ nomen? Ve-
rùm eius quasi mensuram, mediocritatem, & com-
modum tolerabilemq́ hominibus gradũ præterire,
fœdissimum, quod idem de alijs etiam vtilissimis di
ci posset, sed abusus non tollit rem ipsam, teste Ari-
stotele in Topicis. Etiam rei dulcissimæ vsus si ni-
mium adhibeatur redditur amarus: sic quod mul-
ti in æternas damnationis horrẽdissimæ pœnas per
abusum pecuniæ præcipitantur, non asscribendum
est mutæ & mortuæ pecuniæ, sed hominibus malè
vtentibus creatura Dei. Item quod malè sæpè iudi
catur, non ob eam causam iudicium est malum &
reprobum. multi miserrimè decipiuntur in emptio
nibus, estq́ earum maximus abusus, & quidẽ penè
maior quàm in vsuris, sed propterea non est malus
contractus emptionis, vt nec vsurarum, retinendus
igitur verus vsus resistẽdũ summa ope abusui, sim
iliter de cæteris dici potest, facescant tenebræ, lu-
ceat veritas labore & constanti industria acquirẽ-
nda, non absq́ ratione veteres dixerut, Lucem fu-
ri &c. Vt aũt candide lector quandam isagogen ha
beas præuiæ cuiusdam inspectionis causa tibi tradi-
tam, præcipua mẽbra huius disputationis vsurariæ
aduertas velim, nam ea docẽdi causa & vt natura
vsurarũ exigebat, septẽ modis rectè cõsiderauimus,
qui earũ circunstantias et differentias satis superq́

exhibent iuxta quas etiam earundem iustitiã quasi innocentiam & bonitatem excutiemus.

Caussa	*Tempus*	
Persona	*Quantitas*	
Locus	*Qualitas*	*Euentus.*

His addatur methodus Dialectica, et plenißima & clarißima luce negotium hoc intelligetur quàm ponere per quàm facile est ex ijs quæ scripsimus.

Erratur in his aliquando, iuxta versus à nobis ex parte factos.

Plus petitur caussa, plus tempore, req́ loco q́.
Et pro persona, quanto, qualiq́, figurant
Euentus lucra magna nimis, pœnisq́ repressa.
Et varios casus ad eundem confero finem.

Nunc principiò sciendum est ex quibus causis deberi incipiant, et de obligatione earũ, quo videlicet iustitiæ fundamẽto nitantur, quippe semp inspici & examinari debet caussa obligationis, qua cessante et obligatio euanescit l. si quis. ff. de pollicita. vnde qui sine causa promitit non erit obligatus l. j. d. titul. sanè veteres non sine prægnanti caussa vsuras oriri concesserunt, quibus & maxima ratio visa est, ne peti eas permitterent stipulatione non interposita, putauerunt enim illi exercitatißimi homines rei per se odiosæ propter luxuriantem abusum sine magna cautione obligationem non esse admittendam, sed ad causæ inspectionẽ reuertamur, hæc sæpè facit rem dißimilem, vt ait ille, quod & in vsuris verum deprehenditur. Duo cùm faciunt idem, non est idem, verbi gratia: Si illustris stipuletur

tur vsuras & argentarius aliquis, idem faciunt, at non est idem, Argentarius maiores potest stipulari quàm Illustris, quia diuersa horum caussa est, quæ in hac specie facit rem, dissimilem validum etiam argumentum ducitur in Iure à caussa.

Ac in vniuersum nouem caussæ vsurarum efficientes magnoperè sunt considerandæ.

1. *Pactum*
2. *Stipulatio*
3. *Mora*
4. *Legis auctoritas*
5. *Vsus*
6. *Culpa*
7. *Periculum*
8. *Litis contestatio*
9. *Officium Iudicis,*

quod latè in his patet magnasq́; partes sustinet. De quibus iam breuiter dicendum est, singula enim inferius denuò attingentur, & quidem largius, ac primùm quidem de pacto, in conuentione vsurarum vel stipulatio conspicitur vel pactio, in rebus quæ mensura constant. vt oleo, vino, frumento, hordeo, ex pacto vsuræ debentur l. xij. C. eod. stipulationem verò exigimus in pecunia tantum, vt auro, argento, iam si creditis nouem modijs frumenti pacisçar, vt in singulis modijs quotannis duo sextarij mihi præstentur, ex hoc pacto competet vsurarum petitio, eaq́; pactio vsurarum in his rebus admittitur, propter incertum earum pretium, quia plerunque crediti tempore constat magno, solutionis paruo vel contrà. Itaque ratione incerti pretij earum rerum, facilius in his ex pacto debentur vsuræ quàm cæterarum, vt id Harmenopolus egregiè annotauit sub titulo de vsuris, & in summa frugũ

vsuræ debentur ex pacto, pecuniæ ex stipulatione tantùm. Ex pacto pecuniæ creditæ vsuræ peti non possunt, veruntamen si soluantur, minimè condici possunt, quia natura debẽtur ex pacto, hinc etiam non cedunt in insortẽ, quia non sunt prorsus indebitæ l. ij. C. eod. Cæterùm duplex est pactũ, quod ad hunc tractatum considerandum attinet, tacitũ & expressum, cuius exẽpla in processu declarabũtur.

STIPVLATIO.

Stipulatio vsurarũ vel ex die moræ concipitur & hæc pœnam moræ concernit, & dicitur pœna l. xc. ff. de verbo obligatio. vel purè, & statim vires accipit ex die interpositæ stipulationis, hæc lucrum continet, et propriè dicitur fœnus, quod exercere licitum est si modum non excedat vt in mutuo l. Titius ff. de præscript. verbis. Estq; huius fœnoris talis contractus, qualis conuentio, & stipulatio regulariter, pactum certis casibus, vt in pecunia nautica, argentariorum, regulariter in vsuris stipulationem exigimus, non tamen scripturam l. j. C. eod. quæ ait optimo iure deberi vsuras in stipulationem deductas licet scripto comprehensa non sit stipulatio, si modò rectè & legitimè, hoc est, præcedenti interrogatione promissio vsurarum facta asseretur, quod importat etiam nomen & proprietas stipulationis, quæ nisi solennitate legis præeunte fiat, non dicitur stipulatio cùm nomen habeat à stipulo, hoc est, firmo, non à stipulis istis reliquijs messis in agris, quãquam & hæ stipulæ firmi

ter

ter appareant in agris hærere, sed hanc coniecturam non approbamus.

MORA.

Vsuræ quæ nihil aliud sunt quàm incremẽta sortis iure ciuili recepta, ante plurima post hominum memoriam secula in vsu fuisse leguntur, hæ moram quoque coërcent huc referenda est l. ij. C. eod. quæ tractat de vsuris quæ ex mora causantur, in actione ex vendito, idq; officio iudicis, in hac actione principaliter venit precium, quanti res venit, deinde vsuræ precij post rei venditionem quasi ex mora soluendi precij, quæ fit re ipsa post rem traditam, cur enim non soluis precium re tibi tradita? Item quia æquum est, vt cùm ex re mea iam tradita emptor fructus percipiat, præstet etiam vsuras precij nondum soluti l. v. C. de actionibus empt. l. Iulianus §. ex vendito ff. eod. & Paul. ij. sentent. titul. ex empto. vendito. Deniq; principaliter propter morã vsuræ infligũtur, per consequentiam tamen etiam propter lucrum, quare bene difficilè est quod ait Paulus, vsuras non infligi propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium: sed hæc quæ prima fronte apparet anxietas in verbis obscurioribus, infra cum suis concordantijs extricabitur, tantùm nunc attingere hæc volui propter ordinem non perfectius expedire: sed seminarium sequentiũ iacere in ingressu quasi delineamenta quædam rerum integralium suo loco proprijs pingenda rum coloribus. Expeditæ iam sunt tres vsurarũ operatrices causæ, restat transitũ facere ad subsequentem quæ est,

LEGIS AVCTORITAS.

AD legis auctoritatem & facultatem refero cũ dicitur, ipso Iure debetur vsura, hac legis auctoritate debentur semper vsuræ mediocres, non nimiæ & modũ excrescentes, quia noster Iustinia. multum coërcuit & in angustum redegit substantiam vsurarum, grauiores erant in antiquis legibus leuiores eas effecit nouis & melioribus, quod vel inde patet, olim nouatione facta vsuræ coaceruatæ redigebantur in sortem, & eius sortis vsuras rursus in stipulationem conuertebant, quo pacto vsura vsuram gignebat auarißimè. Hoc idem Dominus sustulit. Item vsuræ per partes solutæ duplum sortis excedere poterant l.x. C. hoc titul. ideo vtile erat in Calendas stipulari vsuras, & singulis Calendis diuisis pensionibus eas exigebant, quod etiam sustulit. En legis auctoritatẽ in promptu, quæ non tantùm in vsuris, sed in omnibus contractibus dominatur. eadem legis auctoritas sæpè vigilat pro nobis dormientibus, vt patet in pactione cadendi rem sub vsuris pignoratam in commissum, præterito termino solutionis vt inferius docebitur, & multis alijs articulis politicorum negotiorum idem patet, tanta est ἐπιείκεια tantaq́ iustitiæ legumq́ fidelis origo.

VSVS.

VSura refertur ad vsum, et inde nomen habet abstrahiturq́ à re ab alio vsurpata ad suum commodum, omittunt alij verbum vsurpare quod

go existimo ab vsura deduci vel econtrà, neque e-
nim in hoc magnopere dimico; vsura inde etiã dici-
tur quod sit in vsu (vt mea fert opinio) gebrenck-
lick vsitata & concessa, vt dicimus, Hoc est in vsu.
Item ab vsu receßit, denotat verò quandam diutur
nitatem rei vsui accipiendæ, vt & Titulus in dige
stis de vsurpationibus & vsucapionibus. Cæterùm
quod vsura sit quædam æstimatio ipsius vsus infe-
rius declarabitur, quo intellectu vsuras ob vsum de
beri dubium non est: itaq; vsura refertur ex præ-
mißis ad vsum, iam cùm cuiuslibet rei vsus sit bo-
nus excluso abusu, nec vsura potest esse mala in sua
genere: qua thesi concessa ex hypothesi consequen-
tia depromitur, quod qui condemnant vsuras seip-
sos vituperent, cùm ea omnia quæ poßident consi-
stant in vsu, vsura, vsurpatione, vti &c. Hæc est
enim vera deductio originis vsurariæ. Hinc fit quod
ea quæ in libris iureconsultorum scribuntur de vsu
ris, nullum effectum & vsum habebunt nostro tem
pore, sed consistent in nuda & sola Theorica & ste
rili litera, figura mortua, velut in abstracto, nisi ea
referamus ad reditus anniuersarios & similia. Id
qui non percipiunt, cùm idem alibi Scæuola docue-
rit, finem vsuris competentem adhuc ignorant. Hoc
extendimus etiam ad mercaturam quæ sui natura
est lucrosa, nec admodum dißimilis vsurario contra
ctui. Aspice enim merces in mercatura sunt veluti
sors, lucra & incrementa hinc prouenientia sunt
vsuræ, quæ reputantur augmenta sortis iure ciuili
recepta, quod quidem arbitror rectè posse dici, licet

ab alijs euidenter non sit positum: rem autem ita se habere per communem vsum obtineri potest. Ex eodem fonte elicitur & illud, cùm mercatura hodie licito iure & consuetudine frequentetur nullam fuisse rationem cur vsurarũ petitio à Pontificib. aboleri debuerit contra l. etsi nihil facilè ff. de regulis iuris, & id maximè cum negociatio hominum procliuis sit ad vsurarum exercitium, non secus ac si isto modo etiam conuersatio hominum cõseruari ex parte videatur, quod tamẽ à nobis nc dici videatur temerè & nimis audacter, statuimus etiam vsuras iure gentiũ introductas, quia vsuræ sunt permissæ iure naturali quod & gentiũ vocatur. Certũ enim est, quod iuri & rationi naturali cõgruit, vt benefacienti bene faciam, alioqui vitiũ esse ingratitudinis quæ fontem exurit pietatis l. sed si §. consuluit ff. de peti. hære. dare autem mutuanti pro remuneratione beneficij accepti videtur esse concessum: prætereà iure naturali licet vnicuique de suo dare & à dante spontaneè recipere l. ex hoc iure ff. de iust. & iu. l. traditionib. C. de pact. l. traditio. ff. de acquirendo rei domini. Iam ille qui pecuniam mutuò sumpsit spontè soluit inde vsuram: prætereà indultæ videntur vsuræ (de iure ciuili non est dubium quin sint concessæ) à iure pontificio, vt c. salubriter & c. nauiganti de vsuris vbi modicæ iudicæ conceduntur, manifestum igitur est quod in alijs locis ius pontificium excessum duntaxat vsurarum detestetur quod & ius ciuile facit: nihil igitur quoad tractatum vsurarum hæc duo iura inter se pugnant

gnant nisi quod ius Romanum maiorem libertatem vsurarum permittit, Ius Canonicum minorem, propter periculum animæ, illud considerauit solùm populi vtilitatem, quæ ex negociatione procedit, et ne tales vtilitates impedirentur concessit vsuras, hoc charitatem & perfectionem Christianam magis vrget, & præmunit animos aduersus auaritiæ labem nimiam, & turpem maculam, quæ & sapientes in hoc negocio vsurario inquinare consueuit, Pindarus, ἀλλὰ κέρδει καὶ σοφία δέδεται, *attendens vincta est etiam sapientia lucro, sed contra hoc audi Palladæ Græci poetæ versus.*

Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις ψυχὴν δὲ πένητος,
ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης
Εἰ τὸ μὲν ἐκδεδάνεικας, ὃ δ' ἄρτι δίδως, ὃ δὲ μέλλεις
οὐδέ ποτ' εἶ τοῦ σοῦ κύριος ἀργυρίου.

Diuitias quidem diuitis sed animam pauperis habes, O diues hæredibus, tibi vero pauper. Si alia dedisti ad vsuram, alia iam das, alia daturus es, nunquam argenti es dominus.

CVLPA.

GRauiores vsuræ infliguntur tutorib. propter culpam l. qui sine. ff. de nego. gesto. licet autem nemo in mora videatur esse, qui idem quoque in culpa non sit, tamen hæc vocabula mora & culpa separationem habent. Est autem culpa in Iure

magna negligentia l.magna ff.de verborum significatio.mora est iniusta dilatio, & maius quiddam quàm culpa, quæ tamē etiam dicitur de aliquo qui reprehensione dignus est, licet non mox pœnæ subijciatur, vt dicimus, culpandus est, hoc est, reprehendendus, sed qui in mora est subijcitur vsuris, sæpè tamen etiam ex culpa subijcimur pœnis intensiuè.

PERICVLVM.

PRopter periculum sortis conceditur grauiores vsuras pacisci, velut in nautica vsura contingit, quæ periculi pretium esse censetur, & propterea olim certum modum non habuit, hodie tamē est centesima. Item olim supra duplum exigi poterat hodie non potest, quod etiamsi non sit definitū, tamen omnimodo ita statuendum est, Syllogismi consequentia animaduersa. Quæ taxationem habent certam habent etiam dupli finem, Nautica vsura habet hodie taxationem certam, scilicet vt non excedat centesimam, Ergo: definit enim Iustinianus vt in actionibus bonæ fidei & omnibus alijs casibus vsuræ non exigantur vltra duplum, ergo nec nauticæ, quia id etiam porrigitur nominatim ad argentarios, quibus etiam pleraque indulgeri solet: terrestris vsuræ certus est finis, vsuræ nauticæ taxatio grauior est propter periculum, quo discusso vel etiam non suscepto non potest peti centesima, sed communis vsura tantùm l.j. & xxiij. C. de nautico fœnore l.fœnerator l.penult.ff. eod. discusso periculo pecunia terrestris censeri incipit, cuius

ius periculum debitorem respicit, ideo animaduerti potest ab industrio in lege Rhodia terrestrem pecuniam appellari eam, quæ periculo non subiaceat, & alea discriminis dubia careat.

SEQVITVR LITIS.
Contestatio.

DE hac cùm prolixius sit dictum à me infra l.xxxv. eam partem iam missam faciemus, donec eo, Deo aspirante, peruentum fuerit.

OFFICIVM IVDICIS.

VSuræ non tantùm conuentione, sed etiam officio Iudicis veniunt vt in actionibus bonæ fidei, legatis, fidei commissis, & in actione iudicati, in qua post diem iudicatis præstitutum, vsura centesima venit non facta distinctione an sit publicũ vel priuatum debitum. Indubitati etiam iuris est, vsuras aliquas non deberi nisi interueniat officium iudicis l. qui per collusionem in fine ff. de actionib. empti, de hoc officio iudicis plura considera in articulo de Euentu inferius.

Finaliter hic addẽdum duxi (quia locuti sumus adhuc de ea) quod aliquando causa ex qua debentur vsuræ non attendatur, vt apparet in repetitione vsurarum indebitè solutarum, vt cùm dicitur, vsuras indebitè solutas fortè ex pacto non repeti, ecce defectum causæ cuius defectus allegatio non est sufficiens ad validitatem repetitionis indebitè solutarum vsurarum, sed sufficiens est ad infringendã

earum

earum petitionem, aduerte simile, Paciscor tecum quod dabo tibi codicem meum, nec addatur causa, quia non dicitur vt mihi aliam rem des, vel aliquid facias, hæc pactio nuda non parit actionem, sed si fiat pactum ad liberandum, (vide quid contingat) vt si feci pactum de non petendo debitum vsurarũ simpliciter non exprimendo ex qua causa debitum vsurarum sit, & postea petam, potero repelli exceptione pacti facti de non petendo debitum vsurarũ.

Absoluimus hactenus causas efficientes vsurarum, nunc sequitur personæ cõsideratio, cuius varietas facit & introducit discrimen vsurarum, vbi videndum, quot modis persona spectetur, sunt enim aliquæ personæ quæ præ cæteris hominibus vsuras exercere prohibentur vt Philosophi, Ludimagistri, qui in hoc maximè peccant multis in locis, cùm hos primũ profiteri oporteat mercenariam mercedẽ spernere l. j. §. an et ff. de extraordinarij cognitio, hinc summæ prudentiæ & auctoritatis apud Iureconsultos Papinia. dixit, verè Philosophantes pecuniam spernunt l. in honorib. cir. fin. ff. de vacat, & excusat. muner. sacerdotes quoque & pastores non debent esse vsurarum quæstores siue quæsitores teste Apostolo, Episcopi & Diaconi non debent inhonestum lucrum sectari (qualis est vsura excessiua) 1. Timoth. 3. cap. Audi quæ scribit Harmenopo. sacerdoti fœnus exercere non conceditur: Imò abijciendum est reperire si quid tale patret eũ deponi, vt habet 17. Canon generalis synodi Nicenæ, & 10. synodi Trullensis quæ etiam sexta dicitur. Qui enim non

fore

foret absurdũ, cui ne bona quidem habere permissum est, cum mundanis simul & Ecclesiasticis rebus implicari? Illud extra dubium est, quod præfati non debeant esse auari, teste Paulo ad Titum, omnis autem Dardanarius est auarus & idolorum cultor. Ac vt huiusmodi exercitijs sordidis Ecclesiastici abstineant multis onerib. ciuilibus eximũtur; quod non solùm honori personarum sed & maiestati Dei indulgetur, cuius sacris sacerdotes vacare oportet ait Paulus Iureconsultus lib. 13. ad edictum l. non distinguemus §. sacerdotio ff. de receptis etc. Item honesti viri quales esse debent de iure Ecclesiastici, nõ debent ob eam causam exercere vsuras, cùm Cicero lib. 1. Officior. hoc ponat inter sordidas artes, vbi significanter Gallicus quidam interpres in sua epitome ait, les gaings qui encourent la hayne des hommes sont reprouues, comme des vsurieres. Iam quod est sordidum videtur non esse honestum, neque quod honestum non est iustum est, & qui n' est iuste ne peut estre honeste, vt Galli dicunt, quatenus valet argumentum à contrario sensu, quo sæpe Iureconsulti vtuntur. sed tamen hæc vera non sunt, licet speciose dici posse videtur, quippe multa sunt opificia sordida, vt verbi gratia &c. non referam, necessaria tamen hominum societati & ideo non sunt inhonesta, non negauerim pleraque eorum abiectissima, sed non inhonesta esse.

Item Monachi non debent exercere vsuras siue fœnus, quia pro tã sacris & religiosis deuotisque personis sordidũ est & vile nimis vicinũque proxenetico

officio

officio quod est sordidum l.iij.ff. de proxene: parit etiam scandalum inter Clericos. Accedit quod cum tales personæ censeantur mundo mortuæ (sed non quo ad comedendum, teste Accursio) nequaquam his quasi vilioribus rebus se immiscere debent, iuxta Ius Canonicum, cui in his vt nouissimo statur: adeoq; se tenere & custodire debet Clericus intra septa suæ vocationis, vt si inueniretur audiēs Physicam posset collegio expelli, ne aliena agere videatur ad alia ordinatus, Ad tales pertinent versiculi,

Viue Deo gratus toti mundo tumulatus,
Crimine mundatus, semper transire paratus.

De his omnibus extat decretum in Actis Nicæni concilij in hæc verba, Quicunque aliquid turpis lucri causa acceperit, Clero abdicetur, & sit alienus à Canone, nam clericis quales sunt Ecclesiastici per expressum non licet exercere vsuras, quæ olfaciunt sordes c. non licet distinct. xlvj. Deniq; hæc distinctio personarum quam proposuimus habet suam firmitatem ex dicto communi, quo quilibet tenetur obseruare suæ vocationis limites & honestā verecundiam: quod quale sit, breui exemplo declarabo. Oratores & Poëtæ non debent se miscere concertationibus corporalibus & ludis, vt in Pythijs quondam contigit, vnde tunc præfecti ludorum remouerunt nationes Oratorum & Poëtarum, non præ odio eloquentiæ vel quod odissent eloquentiā, sed reuerebātur istos, vt qui essent omnium Agonistarum multò nobilissimi (quales sunt prædicatores Euangelij omnium hominum nobilissimi, quod

ad officium eorum attinet, nam pro filio Dei legatione funguntur, (vt ait Apostolus) & dolebant existimantes eos omnes esse elegantes non tamen omnes vincere posse, vel non omnes esse potētes ad vincendum, Plutarchus lib. 5. Sympos. Ex quo exemplo satis superq; apparet differentiam esse faciendā in quolibet genere vitæ: Vnde illud est quod illustres non debent exercere vsuras, licet quidem sed vile nimis est, neque illustre vt illorum familia est illustris, quemadmodum neque Oratores & Poetæ debent luctam corporis exercere, cum dedecore sui nominis & famæ, quippe hoc sordidum est: confer hoc cum Ecclesiasticis, qui ab huiusmodi friuolis et vilibus exercitijs abstinere debent, tum σεμνὸν & graue sit eorum officium. Et intra officium debet quisque manere suum, Huc pertinet titu. Codicis, Milites ne negocientur &c. Et qui prouinciam regunt ne mutuo petuniam dent, negocientur, fœnusq; exerceant, admonentur l. principalib. cum l. seq. ff. si certum petatur & l. eos C. eod. Ecclesiastici quoque spiritalem militiam sustinent, & eorum arma non sunt carnalia, ideo in contractibus secularibus non debent lucrū & quæstum venari: quod cùm hodie proh dolor vix ex centesima parte obseruetur ingens in ea re omnium bonorum hominū est indignitas, miscentur officia politica & ecclesiastica, quod cùm fit, differentia inter Politicum & Ecclesiasticum Magistratum non rectè euanescit, Deum precor vt hoc tandem corrigere dignetur ad nominis sui gloriam sempiternam. Postremò huc addendum

dendum est, quod Ioan. de Ana. in c. quia in omnibus in pe. col. de vsur. scribit, quod videlicet debeant vsuræ modificari, cùm mutuatur agricolis eisq́ faueri propter publicam vtilitatem, obuiando impietati fœneratorum, in quibus videmus præter cætera rusticitati parcendũ esse, cui multa priuilegia concessa fuerunt l. 2. ff. si quis in ius vocat. non ier. l. 2. C. de in ius vocand. l. 1. §. fin. ff. de edend. l. si. quis id quod ff. de iurisdict. l. iuris ignorantiam. C. qui admi. l. fi. C. de testamen. Verumenimuero rusticis non parcitur in his quæ sunt iuris naturalis, si ea ignorauerit.

Sed iam transitum faciamus ad tertium membrum nostræ propositæ distinctionis. Estq́ hoc de loci differentia, qui maiores facit vel minores vsuras peti posse, quod iuxta ordinem dici oportet, Alibi inquit iureconsultus pecuniæ accipiatur sub leuib. vsuris alibi sub grandioribus, quod maximè ex fœnore nautico agnosci potest, in quo maiores conceduntur vsitatis propter loci periculum, nauigationis incertitudinem & alia, huc pertinet quod vsurarum quantitas moderamen accipiat secundum loci & regionis consuetudinem l. 1. inf. hoc tit. cum concordantijs, sed quia inferius plura dicentur de his, ideo iam ero breuior, tantùm enim hîc semen quoddam volui spargere de his differentijs non copiose tractare aut integrum argumentum assumere, nam labor alterius temporis iste fuit, quod & de alijs modis differentiarum intelligi velint.

Sequitur de tempore, ac primum quidem il-

lud certum est, multa argumenta in iure sumi à tempore ad locum, & vice versa, quod genus argumentationis etiam sæpè Rhetores assumunt, vt non fuerunt hîc tales aut tales cùm ille interfectus est, ergo non fecerunt, cum similibus: sed quantum ad vsuræ tractatum, magnum commodum est in tempore magnæ necessitatis subuenire alteri plurimum potest & prodest, & debetur inde compensatio mutui officij.

Huius temporis consideratione & contemplatione intendendum, quamdiu duret & persistat vsurarum augmentum, & quando expiret earum petitio, legibus & ordinibus: de hoc exempla textus, & assersiones sunt quæ hîc apponere iusto prolixius esset futurum, præsertim cùm infrà rursus attingentur, Huc pertinet annus, mensis in quo solebant stipulari vsuras, qui singulis mensibus crescebant, si minores in stipulationem deductæ, solutæ non fuissent, l. lecta ff. si certum petatur, vnde & vsura singulis mensibus inferri dicebatur, quot Calendis vnde & nomen Calendarij pro fœneratoris libro, & menstrui petitores: non tamen semper ad diem Calendarum soluebantur, sed concedebatur dilatio vsque ad Idus sequentes l. si ex pluribus §. vltim. ff. de solution. Ad temporis hunc articulum refero quod dicitur, minus soluit, qui tardius soluit, nam & tempore minus soluitur l. vt si cui ff. de verbor. signification. ex quo vel maximè datur intelligi, quod iustè ex mora vsuræ petantur. Item hîc

valet regula iuris, qui prior est tempore in vsurarũ petitione, potior est iure, verbi causa: Duo creditores si ab eodem debitore habeant sortem debitam cùm vsuris, potior est conditio eius qui prius vigilauit in petendis vsuris: tradit id Harminop. lib. j. epitom. tit. iij. de bono. possessionibus. Estq́ regula optima, quoties vtriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est cuius in lucro causa tempore præcedit.

Superioribus consequens est tractare et assumere qualitatem vsurarum, vbi propriè cognoscendum & elucidandum: iustæ ne an iniustæ sint vsuræ, debeantur an non, quod à Iudice examinari solet: Item an debeat quis soluere vsuras promissas vltra terminum iustitiæ legitimum l. si pro mutua C. si. certum petatur, Item an sit seruanda fides illi, cui promisimus immodicas vsuras in magna nostra necessitate constituti: vt si princeps tempore belli alicui ditissimo mercatori veluti Foccaro (vt vocant) promiserit 12. de 100. in anno vel largius etiam, soluere teneatur, an verò contẽtus esse debeat mercator, si sortem &, vt vocant, capitale suum recipiat? in quo casu censeo cum legibus manendum, quæ modum vsurarum præscripserunt, ita quidam ante aliquot annos debitor vsurarius quærebat à Philippo Melanchthone viro doctissim. & olim meo præceptore obseruandiss. an esset peccatum soluere vsuras nimus grandes, quod ille quidem existimabat, quippe Deus vsuras prohibuisset, sed haudubiè ideo hoc faciebat, quia cùm ipse eas deberet ex

promissio-

promißione, hoc prætextu nolebat soluere, dicens se peccaturum si solueret, Responsum fuit à Philippo in ea quæstione, quod pati iniuriam non esset peccatum sed facere, subtiliter quidem vt decebat hominem philosophum & peritißimum, at non sufficienter vt cognoscetur inferius.

Argumentum verisimile pro eo qui noluit soluere vsuras vltra modum promissas vel nihil potius,

Declaratio & confirmationis assumptio ex simili in iure non est inualidum: At illi qui mala fide aliquid emit res aufertur & precium non restituitur l. j. in fin. C. de præscriptio. 30. vel 40. anno. vnde neque fœneratori erunt soluendæ vsuræ, cùm mala agat fide, omni autem mala fide agenti fides non est seruanda: vnde extat versus in gloss. Accursiana durus quidem & saltabundus ingratè cuius sensus tamen bonus est,

Frangenti fidem fides frangatur & ipsi
Ego sic faciliorem & suauiorem effeci,
Nulla fides seruetur ei qui fregerit illam
Nemo iuuabit eum sic nec amicus erit.

Solutio cum declaratione & decisione argumenti talis est: plausibiliter prædicta allata sunt, at non existunt per omnia vera, quia in proposito exemplo emptionis quippiam dißimile reperitur: vbi totus contractus malus fuit, emptor omni deceptione vsus est, & per totum fraudulenter egit: iam vbi dolus dat initium contractui, annullatur contractus iuxta regulam practicorum. In dißimili casu est fœnerator, qui in eo tantùm peccat quo modũ

vsuris praescriptum & praefixum excedit & superat, reliquum pro ipso facit quod stipulatus est, idque legis auctoritate, l. illicitae hoc titul. quod igitur aliorsum tendit in adducto exemplo fraudulentae emptionis, hîc promouere nihil potest, aduersante regula ciuili qua sumptum ex dissimilibus argumentum improbatur l. naturaliter §. nihil esse vbi Alexand. coll. 2. 1. ff. de acquirend. possession. l. inter stipulantem §. sacram. versicul. sed haec dissimilia ff. de verbor. obligation. decidendum verò finaliter, vsuras ex causa promissas vltra legitimum modum superfluo detracto deberi & in solutionem cadere, cui sententiae & leges suffragantur, omne enim promissum cadit in debitum, dicentibus practicis Rabulistis, subaudi tu ex causa, aliàs enim promissum esset futile.

Ad qualitatem vsurarum etiam spectat, cùm quaeritur maiores ne debeantur vsurae an leuiores, grandiores an minores, sit ne vsura communis, an verò peculiaris & singularis, velut nautica vsura, quae erat immensa infinita singulariter, quae tamen deducta in stipulationem post diem periculi siue discusso periculo reuertitur ad vulgus communium vsurarum, tunc enim desijt esse nautica pecunia, vt superius dictum est. Alia de qualitate vsurarum in repetendis illis posita sunt infra l. 38. §. item si indebitum. Huc pertinent adhuc tres quaestiones, quarum primam mouent Doctores, An creditori liceat petere interesse, & vsuras medij tem-

temporis si ipsi pactum de non petendo fiat. pactum de petendo, deciditur quod non ob datum simile, quippe restitutio ad gratiam extinctam non retrotrahitur ad tempus primæ cessionis, vide gloss. in c. quamuis is de rescription. in 6. quæ quidem quæstio fertilissimæ frugis est & nihil ea vsitatius.

Secunda est, an exercere vsuras sit ars & post longam inquisitionem, magis est vt sit ars, quippe modum in ijs obseruare non est vulgare, vt vsus quotidianus ostendit, patet idem ex definitione artis, quæ apud Lucianum extat in dialogo de parasito, Ars est doctrina certa de talibus rebus, quarum aliqua sit in vita vtilitas, quæ definitio si accommodetur ad vsurarum tractatum & descriptionem à Iurisprudentibus propositam, erit ars, sicut & Iurisprudentia est ars (vt obtinuit post longam conflictationem multorum) sub qua & vsurarum traditio comprehenditur. Ac generaliter licet artificium est non nimis languidè aliquid facere, neque in superfluo delinquere, vel quod idem est non peccare in defectu neque in excessu, sed persequi medium est artificiosum, hoc medium in vsuris legitimum modum earum vocamus.

Tertia est quæstio, an vsurarum exercitium sit de iustitia publicæ honestatis, quod esse de ea existimato si sit modiocre, cum iure gentium sit introductum, quod à multis non esse positum miror:

Ecce, paterfamiliâs obijcit seruo suo, inquiens, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, hoc est numularijs & ego veniens cum vsuris exegissem illam, scilicet pecuniam mutuatam Lucæ 14. cap. Et alibi dicit sacra scriptura, fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.

Affine iam est & vicinũ, vt de quantitate quoque vsurarum quædam adiungamus ad quam pertinet, quod duplum sortis vsuræ nunquam excedere possunt, quia idem videtur bis exigi quod iura probibent l. bona fides ff. de regulis iuris. sub hoc membro examinatur modus & quasi mensura vsurarum, quæ statui debent non, quantas libido cuiusque & auaritiæ nequitia exigit & iniustè appetit, (vani enim vana appetunt per cupiditatem) sed vt moderatæ rationis temperamẽta desiderant, argũ. l. de minore §. tormenta autem ff. ad Turpil. Ad hunc articulum pertinet, quod pleræque res, vt frumentum, oleum, hordeum, recipiunt grauiores vsuras, quas non recipit pecunia l. xxiij. C. eod. vbi additamenta vsurarum grauiores vsuras intellige, denique prout res est ita vel vulgaris & vsitata vsura voluitur, vel particularis & singularis, quod quale sit considera per seriem specierum subsequentium, Conuentio Antichreseos est, cùm aliud pro alio redditur, vt cùm frumentum creditur & pecunia redditur, vel vice versa l. xvj. C. eod. aliquando aurum, argentum, vestis vel si qua alia species sit, datur, & pecunia soluitur, quo casu adhuc statur vulgari vsurarum modo l. xxv. C. eod.

Idem

Idem modus non seruatur, cùm frumentum credi-tur & conuenitur vt frumentũ reddatur, imò gran-dior vsura permittitur, & quidem talis quæ supe-ret vulgarem modum, ea de causa in l.xxiij.C.eod. dicitur eiusdem duntaxat materiæ admitti incre-mentum vsurarum, qua ratione etiam in Nouell. xxxij. xxxiij. & xxxiiij, Iustinian. si agricol. cre-datur concedit vsuras trientes, hoc est, in singulos solidos quotannis singulas siliquas, & hæc est vsu-ra triens vt constat ex Nouell. Leonis lxxxiij. fru-mento autem credito agricolæ Iustini. in singulos modios quotannis creditori permittit accipere octa-uam partem modij, quæ est vsura cẽtesima Nouell. cxxx. Itaque in pecunia permittit trientem tantũ in frumento centesimam: vt in pecunia centesima vsura est, quæ in singulos solidos quotannis reddit tres siliquas, hoc est, octauam partem solidi, qui cõ-stat siliquis xxiiij ita in frumento vsura centesima est, quæ in singulos modios quotannis reddit duos sextarios, hoc est, octauam partem modij, qui capit sextarios xvj. Ergo in frugibus grauiores vsuræ permittuntur, quam in pecunia nempe centesimæ, & hoc est quod ait lex. xxvj. §. in traiectitijs C. de vsuris, centesimam permitti in specierũ fœnori da-tionibus, Græci τῶν καρπῶν vt frumenti, olei &c, quem sensum in Gallia didici.

Iam hoc loco præterire non possum non proba-bilem, vsurarum speciem in Germaniæ multis lo-cis vsitatam circa frumenti mutuationem: quan-do est magna annonæ caritas & intensio, quidam

nobiles abundantes adhuc frumentis dant mutuò suis extraneis etiam colonis frumentum, sed non vt frumentum reddatur, verùm pecunia æstimata ad tempus, quo dederunt mutuò frumentum, hoc est, æstimationem frumenti tempore præcioso factam, postea soluere oportet colonos videlicet tempore anni fœcundi, quod non est iniquum de rigoroso iure: potuissent enim Nobiles eo precio vendere, sed videntur potiùs gratificari rusticis, qui interim gratis vtuntur (in effectu tamen non licet, secundum quid) ad certum tempus frumento, quod tempore precioso emere oportuisset rusticos pecunia, quam vel non habebant tempore illo, vel habere oportebat difficilimis conditionibus, propter vitæ sustentationem, & agros conseminandos, humanis tamen secundum CHRISTI præcepta erat æstimationem preciosi temporis non attendere, & simplex postea loco solutionis frumentum recipere, quia si secùs obseruetur, vt nunc probdolor in multis locis contingit, grauissimè & durissimè affligētur in re familiari rustici, qui vix anno tolerabili possunt tribus modijs expedire vnum modium temporis preciosi, vide nunc incrementum vsuræ tacitum, illi tamen nolunt hæc vocari vsuras, nónne melius erat modum legitimum inire ab initio mutuationis & reuocare talem casum, qui sæpissimè incidit ad leges antiquas Iustiniani hîc propositas? Respicerent etiam illi domini vocem Dei per Prophetam dicentis. Væ illis qui seruant frumenta cum fremore populi, donec anne-

annonæ caritas intendatur, intelligenti pauca. quidam Archiepiscopus Moguntinensis Hatto dictus ex tali causa calamitosissimè olim diuinitus fuit punitus, muribus absumptus ad exemplum & spectaculum totius posteritatis huius seculi, quam historiam norunt optimè ciues Moguntinenses, & ego vidi locum.

Denique, quantum ad casum proximè positum coloni non tenerentur, implere promissionem soluendæ æstimationis frumenti, si illa excesserit legitimum modum vsurarum & finem, quod ferè semper fit & contingit, in qua re irascor & indignor. Pluris fieri cuiuslibet priuatam constitutionem quàm ius publicum, quod præscripsit modum lucri in mutuatione frumenti, proditum est iure ciuili conuentionem priuatorum iuri publico nihil derogare posse, quod contingit in mutatione frumenti & in alijs quàm plurimis, vt iam omittam, quòd tales in pœnas incidant à Iureconsultis propositas. Atqui totum hoc malum oritur ex negligentia eorum qui his rebus, & malis, & tortuosis conuenientem medelam adhibere debebant: at surdis canitur, vbi ea quæ vitia sunt mores fiunt, in qua specie deesse remedij locum Seneca scripsit.

Præcedentibus adiungendus est, qui tempore messis vel vindemiæ nõ necessitate, sed propter cupiditatẽ lucri comparat annonam vel vinũ, verbi gratia, de duob. nũmis comparat modiũ vnũ, & seruat

vsq;

vſque dum vendatur denarijs quatuor aut amplius. Hoc turpe lucrum dicimus ait Pontifex in c. quicunque 14.q.3. ex quo concludendum turpe lucrum ſectari eum qui minus emit vt plus vendat. Hic enim publicæ vbertati frumentum derogare videtur, & inuidiam fauorę leuis annonæ, quam ipſe intendi votis omnibus optat. Audi Harmenop. Iudicem Theſſalonicenſem, qui annonæ inſidiantur ac coemptas merces ſupprimunt, dum minus vberes prouentus expectant, ſi negociantes ſunt negociatione eis interdicitur, aut relegantur. Humiliores verò ad opus publicum dantur libr. 6. epito. titul. 15. de his qui infamia. adde l. annonam in princip. ff. de extraord. Iam aſpice qua pœna digni ſint iſti, qui ſperantes de die in diem caritatem annonæ, aſſeruant tantiſper frumenta, donec verminculentur & beſtiolæ propter cariem & corruptionem ex ijs natæ ſuper tabulata vbi reponi conſueuerunt triticum, ſiligo, hordeum, panicũ, paßim volitent, tales in multis locis multos eſſe memini. Et quidem Magiſtratus iſtius loci debebat officij & auctoritatis qua fungitur reſpectu meritis pœnis aduerſus tales acriter inſurgere propter communem vtilitatem.

Vltimus articulus eſt de Euentu, quem hîc nomino mutationem quandam vel ſaltem diuerſitatem contractus initi, & illa quæ extrinſecus accedunt de quibus ab initio non eſt cogitatum, quæq; lingua contrahentium non ſunt nuncupata, verbi cauſa, ſæpißimè accidit vt contractus & pactorum leges.

leges, varietatem & dubietatem tempore accipiant, de qua contrahentibus in ingressu negotij non venit in mentem. Hinc tritissimum illud apud Iuris D D. Res non mansit in eodem statu, velut de eo qui sanus gladium deposuit, si insanus repetat, vt & Cicero in officijs disserit, illi reddi nō debet, quia res non mansit in eodem statu. Huc spectat si post contractum mutui, pecuniæ æstimatio aucta vel diminuta sit, cuius tunc periculo cedat? quod dubium crebro memini suboriri & eò magis obseruandum, estq; in eius determinatione confugiendū (nam ibi sedes materiæ huius est) ad l. non intelligitur in fi. ff. de iure fisci & ibi notat, ibi, precia iusta non ex præterita emptione, sed ex præsenti æstimatione constituuntur. Huc referenda celeberrima æstimatio illa quanti plurimi quæ etiā accedit ad fines æstimationis auctæ vel deminutæ.

Ad euentum pertinent & pœnæ fœneratoribus auaris propositæ, olim causa cadebat qui plus petierat in iudicio: Bone Deus, quàm nunc idem fœneratoribus excellentissimis irrogari congruebat? cùm plures & grandiores sectentur quam legibus est indultum: Cato in re rustica inquit, ex veterum decretis est quod fur debeat in duplo puniri, fœnerator in quadruplo, ex quo innotescit, quod magis oderint veteres fœneratorem quam furem, Et Ezechiel cap. 18. negat eos esse victuros, qui pauperem contristauerunt vsura & super abundantiam acceperunt, vnde & Ambrosius docet, pios non magis posse in inter se vsuras exercere

quam

quam bellum gerere & latibunari, & Ius Canonicum manifestis verbis ait, vbi est ius belli ibi etiam est ius vsuræ exerendæ, denique totius Ecclesiæ consensu damnantur fœneratores excessiui, sunt etiam multæ causæ positæ in ipsa natura, quibus ostenditur vsuras in Repub. non magis esse ferendas, quàm ferenda sint homicidia, adulteria, furta, tollunt isti mutua officia & beneficia, & propterea sunt damnatum genus hominum, Turcium & gentile omnium odio dignissimum, seruiunt præfati nebulones Mammonæ iniquo tanquam cultores & sacerdotes eius, Das sindt die geltnarren/Weltkinder/die all jr gedancken auff das zeitlich wenden/& *regnum Dei non possidebunt, 1. Corinth. 6. Sed de his omnibus copiosius in processu tractabitur. Hîc ea duntaxat attingere propter euidentiorem intellectum mihi visum est oportunum, semina quædam sequentium, vt mos fuit priscis illis Rhetoribus, aspergenti, ea quidem intentione vt lector humanus sciat de cætero ad quæ capita singula referenda sint inferius enodata, ita enim fiet vt rectius hæc intelligantur, & firmius (quod equidem valdè optamus) retineantur.*

Superest in hoc articulo euentus, adiungere quædam de actione qua vsuræ & fructus petantur, nam ea omissa per negligentiam nóster hic labor non satis bene sibi constaret, cùm nulla pars sit iuris, in qua non concurrant simul res ipsæ, personæ, & actiones, quæ oriuntur ex contractibus rerum &

vum & obligationibus personarum, tanquam matribus, & hoc est quod alibi dixit Iureconsultus, omne ius quo vtimur, aut ad res aut, personas, aut actiones referimus, l. 1. ff. de statu hominum: Dicendum itaque quod vsuræ petantur certi condictione, si constet eas deductas esse in stipulationem, cæterum quomodo probetur stipulationem intercessisse, absoluit Azo in summa sua C. eod. libr. 4. de fructibus verò quorum vicem vsuræ sustinent l. vsuræ inf. eod. sic statuendum est, fructus in iudicium veniunt: debenturque aut officio iudicis, aut iure actionis, officio Iudicis si sint percepti post litem, percepti verò ante litem veniunt iure actionis, & non quasi accessio, sed quasi sors, nunc sic dico fructuum qui veniunt officio iudicis vsuræ non debentur ne fiat accessio accessionis l. hæres in fine ff. de petitio. hæredita. l. neque infr. eod. fructuum autem vsuræ, qui veniunt iure actionis, etiam officio Iudicis veniunt in actionibus bonæ fidei, non in strictis Iudicijs bonæ fidei excipitur vnus casus constitutione Seueri in l. eum qui ff. de his quibus vt indignis, quo casu fructuum ante litem perceptorum vsuræ non veniunt in petitione hæreditatis quæ est bonæ fidei, vt si fiscus petat hæreditatem ex causa taciti fideicommissi recipiet hæreditatem & fructus, non fructuum vsuras, ratio est quia benignè exceptus est hic casus constitutione

Seueri

Seueri nec obstat l. cùm quidam §. in tacito inf. hoc titul. ibi fiscus petit ex tacito fidcicommisso hæreditatem & tamen aufert vsurras, non est dicendũ, hæc esse contraria quia ille §. non dicit fiscũ auferre vsuras fructuũ, sed vsuras pceptas à debitorib. hæreditarijs. Huc pertinent pecuniariæ causæ, q̃ & ciuiles appellãtur, quoties actor cõsequitur quod sua interest, vel petit pœnã pecuniariam sibi adiudicari, vt colligitur ex definitione actionis & l. vlt. ff. de priuatis delict. l. vlt. ff. de furtis. Hæc sufficiãt de actione vsurarum & fructuũ, qui ad vicem vsurarum accommodari consueuerunt. Exigit nunc ordinis oportunitas expeditis prioribus in modum præuiæ cuiusdam inspectionis ad argumentorum obiectiones, earumque dissolutiones scriptionem conuertere, verùm antequam proficiscar ad eas positiones lector amice velim te admonitum in hoc breui tractatu de argumentis vsurarum controuersis & antinomijs, idque obseruandum pro generali omnium solutione. Attende verba, quæ proponuntur diuersa sunt, non pugnantia, exemplum eius rei vnum tibi præbebo ex l. si conuenerit ff. de Iurisdictione & l. si quis in conscribendo C. de pactis, vbi diuersa proponuntur at nõ pugnantia, habent tamen speciem pugnantium sed non in veritate, de cæteris similibus conueniens fuerit idem assumere Iudicium.

Secundum est pro solutione contrariorũ quæ introduximus, omnia nempè in iure intelligi secundum subiectam materiam, nam semper inspici debere

bere præsentem disputationem traditum est à sapientibus, & Plinius ait, componentem inspicere debere crebrò titulum suæ scriptionis, quod longè verissimum est in iure, Idem alibi tradunt D D. affirmantes verba secundum res quibus adhærent intelligenda esse, nec enim res seruiunt verbis, sed verba rebus ipsis: attingit de his quædam Scotus, Comes, & Iureconsultus placentinus in Commentario ad Rubricam ff. de noui operis nunciatione edito anno Domini 1547. Calen. Octobr. scripsit autem ad Herculem Ducem Fetrauensem speciosissimum.

Tertium est, omnia intelligi debere in veritate & medio directo, quo virtutes consistunt, non in vllo excessu aut defectu, quo Aphorismo languescent propè innumeræ obiectiones in qualibet humanarum artium facultate & scientia, eiusque tantus est vsus quantus potest esse vlla in re maximus.

Hic tribus cautilis expeditis & præmissis nūc propositum exequamur, collationes argumentorū ponendo per ordinem consequentē, vt suprà me facturum promisi sub spe non sterilis disputationis, vt patebit in exitu, & rerum ipsarum experimentis, quod ad monuisse oportebat.

In Psalmo 15. scriptum est, qui non dedit pecuniam ad vsuram habitabit in domo Domini, nec cōfundetur. Idem ꝓhibitū est Deut. 23. Ezech. 18. 1. *Argum.*

Fœnus siue vsura (indifferenter nunc accipio) Iudæis & omnibus hominibus in ista politia Hæ- Solutio.

braica prohibita fuit, de quo Leuitici 25. cap. Exodi 22. quo tempore in summo odio erant vsurã, vt & publicani tẽpore Christi, id quod etiã videmus in Historia Euangelica. Interim tamen Deus illis concessit ab alienigenis vel gentibus, quæ ante natiuitatẽ Christi erant adhuc extra Remp. Israeliticam sumere vsuras, quod est valde bene ponderandum, officium enim gratuitæ mutuationis non voluit Deus deberi alienis, sed cognatis ciuibus Israelitarum, vult lex Mosaica, inter ciues hoc officium gratuitum esse, certum enim est quod ciuis in communicatione rerum quæ cõmunicari possunt, & cõsueuerunt plus obligatus est conciui suo quàm peregrino & hospiti. Quemadmodum lex Deut. 15. vetat anno septimo peti debitum à ciue, sed à peregrino expressè petere cõcedit, neque enim debemus eadem officia Turcis infidelibus; quæ vicinis nostris vtpote Christianis, & non gentilibus barbaris, quales sunt Turcæ vastatores mundi, vnde & nomen habent.

2. Argum. Date mutuo nihil inde sperantes Luc. 6. Ergo sunt sublati contractus nec licitum est ex mutuo stipulari vsuras, secus quàm à Iureconsultis hactenus traditum est.

Solutio. Consequens non rectè attexitur, loquitur Christus de mutuatione, quæ fit sine repetitione sortis, ac disputat ibi Christus de summa & intima charitate, ait enim ibi, qui tibi abstulit aliquid noli re petere. Item si quis te in vna maxilla percusserit, præbe illi & alteram, neque tamen his contrariũ

est, vim

est, vim vi repellere licet, vt Iurecōsulti asserunt, armaq; in armatos sumere iura sinunt: sunt & dicto cap. alia quædam quæ de summa charitate & perfectione Christianitatis loquuntur, inter quæ & hoc est, date mutuum nihil inde sperantes, ne sortem quidem neque loquitur de mutuatione quæ iure ciuili probabili ratione introducta est, quasi diceret, si quis à te mutuū petierit, da illi hoc, exercè in eum donationem & mutuationem gratuitam, & quod hic sit bonus intellectus patet ex contextu orationis explosis falsis opinionibus.

Videtur igitur Christus impoßibilia præcipere nobis, quia nemo hoc præstat quod ibi nobis iniungitur faciendum. Contra hāc solutionem

Christus nobis ibi monstrat quales esse debeamus, non quod tales esse poßimus, indicat etiam nosq; docet intelligere quantū recesserimus ab integra illa natura & originali perfectione. Explicatio

Addatur ad idem & hæc distinctio, aliud est mutuum naturale, aliud ciuile. CHRISTVS loquitur de mutuo naturali, quæ distinctio asseri potest, & ex cap 13. Ad Roma. vbi Apostolus ait, nihil cuiquam debeatis, scilicet ciuiliter nisi charitatem, vbi naturale debitum & mutuum alij in neceßitate præstandum per charitatem intelligit, & hoc est diuersum à ciuili mutuo, naturale quidem hoc mutuum nullis legibus excludi potest, neque mutari cùm naturalia immutabilia sint, ciuilia non item: tenendum itaque naturaliter

nos debere mutuum dare sine vsuris si poteris(neq; enim alijs dandum vt nos egeamus secundum apo-stolum)ciuiliter verò inde mediocres vsuras petere possumus,quod non est in humanum, vt sit æqualitas,Ecce enim mutua opera aliquid facere, vicib. alternatiuis vt sit communicatio operarum , neque vnus solus faciat,sed alter quoque conferat, sic dicitur, Nuptias non mutuus vxoris & viri concubitus facit,sed nuptialis consensus,denique reciprocationem significat quandam , mutuum vocabulū, huc pertinet,officium mutuationis nos serere debemus vt tamen metere beneficium inde liceat , quod quamuis non debeamus petere edurè , relinquitur tamen alterius arbitrio honestatem recompensationis ostendere & referre,vides igitur quod mutuum non sit simpliciter gratuitū, quod verò Christus ait, date mutuo nihil inde sperantes , sic exaudiri oportet, Etiamsi scieritis vos nihil recepturos,tamen subuenite egeno & misero,nō diuiti , & meliores res quærenti Estque hoc dictum Christi quasi æquitas quædam scripta ad ius ciuile referenda & apponenda. Iam cum ius ciuile sit partitum in leges ipsas & æquitatem , nihil pugnabit dictum Christi cum legibus Romanis , conuenit enim cum æquitate iuris quæ plerunque significari solet per phrasin,Sed humanius est.

3. Argum. Si mutuum dederitis à quib. vos speratis recipere quæ gratia est vobis,nā & peccatores dant mutuum vt recipiāt paria Luc. 6. cap. ex quo loco manifestè probatur,mutui dationem fieri debere sine

vlla

ulla spe receptionis: unde apparet Philippi Melanthonis & aliorum quorundam (licet difficulter ab illis utpote doctiss. recedo veritas tamen retinenda est) interpretationes consistere vix posse, quia verba tã clara sunt ut interpretatione diuinatrici non indigeant, vult simpliciter Christus dari mutuũ sine spe receptionis, quod genus mutui quasi de meo tuum fiat dicti, est simile donationi quæ requiritur inter perfectos.

Philippus Melanthon ita soluit, nihil inde sperantes, scilicet ratione mutuationis, & respectu istius officij usuras petere non debemus, sed gratuitò hoc alteri præstare, nihilominus tamen sortem & capitale (ut vocant) repetere possumus, alij aliter soluunt ut possunt non ut debebant.

Glossarius iuris ciuilis alibi ait, aliud obseruari in foro litigioso, aliud in foro conscientiæ, sed certè qui hoc pacto rectè soluere velit difficultatem experietur, usq; adeò quorundam locorum in hisce rebus extricationes sunt difficiles: ut non immeritò dicatur iurisprudentiam esse rerũ diuinarũ & humanarum scientiã, quod quem aliũ intellectũ habeat non video, quã quidã dixit, eũ qui Pliniũ velit intelligere oportere habere notitiã eorũ quæ in cælo & in terra gerũtur, ꝗ licet Physicè intelligi rectè posit, huc tamẽ etiã quadrat ꝓpter similitudinis coueniẽtiã

Communio est iuris naturalis, ergo mutuidatio debet esse gratuita, quò (quis dicere posset) respexit Christus dicens, da omni petenti: Item, omnia amicorum sunt communia, iuxta Philosophum. 4. oppositũ

Solutio. *In integra natura potuerunt omnia esse cõmunia, in deprauata qualis ea nunc est minime, & hoc dicendũ ad dictũ, cõmunio rerũ est Iuris naturæ, quod vero ad dictũ, oĩa amicorũ sunt cõmunia, Respondendũ, ea esse debere cõmunia inter amicos q̃ sunt cõmunicabilia ex lege & iure: vnde inter amicos Hortensiũ, & Catonẽ olim Romæ non debuit esse cõmunis vxor, vt neq; inter Anabaptistas Monasterienses. Ac quidem quod Christus ait, da omni petenti, intellige honestè petenti & ex causa, qa scriptũ est in prouerbijs, non des crudeli facultates tuas, hoc est illi qui ociosè viuit & interim alienis laboribus parta appetit, quippe talis verissimè crudeli homini æquiparatur.*

Firmiter igitur tenendũ quod sit dandũ, nõ secundum meũ & tuũ ingeniũ, nec secundum cuiuslibet intempestiuam appetitionem, sed secũdũ legẽ Dei non passim & sine delectu. Audi enim, fontes tui deriuentur foras, sed tu Dominus eorum maneas, in quo dicto per expressum distincta sunt rerũ dominia, velut & in illo præcepto Decalogi, Non furtũ facies, quanquam in Ægypto Israelitæ speciali mandato Dei furtum fecerint, sed specialia non sunt generaliter intelligenda.

Sed quæ est causa dicet aliquis, cur communio rerum non possit obseruari in rerum quotidianarum vsu? ad quod dicendum, tuum & meum, immoderata cuiuslibet appetitio, quippe hoc meum & tuum scaturiginem subministrat omnium ferè in in mundo discordiarum, atque vtinam hæc duo pronomina

nomina nō ſererent, tot occaſiones & frutices peſſimorum negociorum ſuper terram.

Qui dat mutuo & ſtipulatur vſuras ex re aliena plus accipit quàm dedit, cùm conceſſæ rei mēſuram duntaxat recipere datam congruum ſit, & naturali iure æquum neminem cum alterius detrimento fieri debere locupletiorem l. iure naturæ ff. de regulis iuris antiqui, Ergo eſt iniquū ſtipulari vſuras ex mutuatione. 5. Contrarians.

Vera quidem hæc prima facie videri poſſunt, ſed cum alter lucretur ex tua pecunia quod & tu potuiſſes ſi retinuiſſes eam, iuſtum eſt te petere loco lucri vſuras mediocres velut partem quæſtus, vt fit in ſocietatis contractu, vbi alter præbet pecuniam & alter præſtat labores negociationis, & vterque poſtea ad lucrum admittitur, vt ſit æqualitas ἐστι γὰρ δικαιοσύνη κοινωνία μετὰ ἰσότητος *accedit quod forte ſine damno graui data alteri mutuo pecunia carere non potuiſti, iam ſecundum naturam eſt commoda rei eum ſequi quem ſequuntur incommoda l. ſecundum ff. de Regulis iuris, At creditori incommodè accidit carere ſua pecunia.* Conciliatio

In vſura vt Theologi aſſerunt officium ſit venale, cum ratione mutuationis datur aliquid reſpectu præſtiti officij, cùm tamen & in iure ciuili officium debeat eſſe gratuitum, vt contingit & videri poteſt in mandato. Item quod tibi non nocet & alteri prodeſt gratis eſt præſtandū, Ergo eſt iniuſtū. 6. Aduerſatiuum.

Ex officio mandati poſſumus accipere legib. in id ſuffragātib. renumerationem l. ſi vero ff. mandati, Conciliatio

dati, Ergo non est simpliciter gratuitum quemadmodum nec officium mutuationis, huc pertinet Vlpiani dictum, multa honestè accipiuntur, quæ tamen inhonestè petuntur, non negauerim tamen officia charitatis Christianæ maximè debere esse gratuita, si id absque alterius detrimento & periculo fieri poßit, quippe alijs quidem dandum mutuò est gratis, si tamen indemnes maneamus. Hinc iustè petitur interesse damno illato: imò fortius dicitur post acceptum beneficium gratum animum esse ostendendum, cùm officium plerunque præstetur propter beneficium, & manus manum lauet, antiquo prouerbio. Huc facit quod disputat B. de girard. Bourdelois Gallus in lib. 1. officio. Ciceronis, l'homme doibt rendre auec vsure le plaisir qu' il à receu (faisant comme les champs fertiles qui rendent plus de grain qu' on n' en à seme sur eulx) & mesurer la voluntè de celuy qui luy donnera, quæ verba Gallicè prolata cùm constanter hanc solutionem attingerent nolui omittere, eodem spectat & illud Gallicũ prouerbiũ, qui fait plaisir plaisir requiert.

7. pugnãs. Aristoteles expreßè ait, quod vsuræ sint contra naturã pecuniæ, quæ sterilis sui natura & res mortua est, vt cùm vsura malè vocatur creditæ pecuniæ fructus ex vsu, nam pecunia ad quæstum non potest transferri, eò quòd permutationis tantùm & non quæstus causa nũmus sit inuentus, vt quàm plurimi testantur.

Solutio. Pomponius eleganter dissoluit hunc nodũ, cùm inquit, Vsura pecuniæ quam percipimus in fructu nõ

est.

est, quia non est ex ipso corpore sed ex alia causa scilicet extrinseca, & vt ipse ait ex noua obligatione l. vsura ff. de verborum significat. l si nauis ff. de rei vindica. non enim abstractiuè petọ vsuras ex pecunia mutuò data, vt Aristoteles voluit illudere nobis, cùm ea sit sua natura sterilis & infœcunda, quod vel rustici norunt, sed quia ita conuènit inter nos, vt mihi des aliquid vltra sortem, quare nihil postulo contra proprietatem pecuniæ, sed propter obligationem peto vsuras, idq́; causa interueniente quæ præcedere debet, vt debeatur quod ait Paulus in l. Eiusmodi legatum ff. quando dies legati vel si dei commiß finaliter si quis nonnihil in allegato loco Aristotelem excusare ab errore velit, posset dicere eum loqui non de legitimis vsuris iureconsultorum, sed de amore excessiuo, de cuius probibitione inferius quæstio habebitur.

Propter malitiam hominum vsuras esse concessas non pauci asserunt, Ergo re ipsa sunt malitiosæ, 8. allidẽs.
valet argumentum à nominis etymologia, quod locum habet cùm origo et deriuatio rei demonstratur l. 1. ff. de iustitia et iur. l 1. ff. de pact. l. 1. ff. de iniurijs l. 1. ff. de acq. pos. l. 1. ff. de fur. §. 1. Institu. de testam. ordin. l. ita vulneratus ff. ad l. Aquiliã. l. 2. §. mutuidatio ff. si certũ petatur § sicarij insti. de pub. iudicijs, c. forus de verb. signific. cũ similib.

Ipsæ vsuræ per se non sunt malitiosæ, si modus Solutio.
adhibeatur, sed propter abusum dicuntur tales, & maiores quàm decebat propter malitiam hominum indulgentur: neque enim malum est vsuræ vocabu-

 lum,

lum, imò Deus ipse approbat in Euangelio lucri copiosas, honestas tamen acquisitiones, quales sunt vsuræ legitimæ, cùm laudat eum qui multum lucratus erat ex suo talento Luc. 19. Ac velut mercatura est opus & ordinatio diuina, ita & vsura se habet quæ in mercatura præcipuè versatur, & nunquam ab ea diuellitur tanquã inseparabile accidens, quin imò vsura est pars essentialis ipsius mercaturæ causaque impulsiua, propter lucrum enim instituitur, quod nemo negare potest, vsuras itaque exercere legitimas & multum lucrari diuinitus est cõcessum.

9. Obiectionum membrum. Cato dixit, nihil aliud esse vsuras exercere quàm hominem interficere, Itẽ vsura est vorax mercatura exugens passim homines, eosq́ ad paupertatẽ redigens, vnde & Appianus scribit lib. 1. de bellis ciuilib. Abhorruisse mihi quidẽ videntur veteres fœnoris consuetudinẽ, quemadmodũ & Græci, nec secùs ac cauponãdi quæstũ existimauisse grauẽ intolerabilẽq́ pauperib. & inimicitias vltrà procreantẽ.

Falluntur plurimi in his et similibus dictis, nempe quid est aliud vsuras exercere, quàm hominẽ interficere, ignorantes enim historias ita impingunt. Respexit Cato ad historiam sui temporis, & secundum hoc locutus est, quo homines non soluere valẽtes vsuras cum sorte detrudebantur in carceres, vbi sæpissimè ægri existentes & affecti varijs calamitatib. morbis, carceris squalore, & situ, sæpenumero etiam fame moriebantur, quæ vsurarum crudelitas & horrendissima diritas, postea deleta est per Lucullum & Ciceronẽ in Asia, hæc igitur ad tẽ

pus

pus præsens anni currẽtis accõmodari non possunt, quo Dei bonitate mediante tãta acerbitas et graue do fœneratorũ non toleratur, vigilantib. principib. ad quorũ officiũ spectat auaritiã anteriorũ tẽporũ corrigere iuxta l. 1. ff. de interdi. & relega. pro hoc bono sanctus Propheta Deum orat Psalm 119.

Ad tua me placidis inclina oracula verbis,
Non ad turpe lucrum, non ad auaritiam.

Vt vertit Eobanus Hessuso olim celebris Poeta Germaniæ, qui sepultus est (vt hoc obiter addam) Marpurgi in Hassia, in cœmiterio templi Teuthonicorum Dominorum &c.

Aliud est fœnus exercere, aliud mutuum, sui natura mutuum est gratuitum, sed fœnus damnabile est, mutuum gratuitum laudabile. 10. in contrarium assertio.

Alterum est honestatis, alterum voluntatis, honestum est exercere in fratrem tuum mutuum gratuitum, voluntatis si placet lucrosum, intra modũ tamen, aliàs vitiaretur, non ausim dicere consilium esse gratis mutuò dare, sed non necessitatis lucrum inde nullum capere, quod relinquo alijs doctoribus asserendum, mihi nonulla est in hoc religio. Solutio.

Quidam ex patribus ait, impossibile esse mercatorem agere posse pœnitentiam, Ergo & vsura quæ mercatorem semper comitatur, semper est iniusta, & omnis diues aut est iniquus aut iniquus hæres. 11. Argumentũ contra mercaturam, in qua diximus vsuras dominari.

De excessu locutus est, velut si dicerem, Hæreticus est interficiẽdus scilicet pertinax & nõ docilis, aliàs pugnaret cũ dicto, Hæreticum hominẽ fugere didici & nõ interficere: Ita mercatura est mala in Solutio.

excellen-

excellentibus gradibus lucri priuati, non in remissis commodi domestici.

12. argum. *Facere ex vsurarum stipulatione conuentionem locationis & conductionis, videtur durum, vt fœnoris exercitium est quædam locatio & conductio, pecunia enim vtenda datur & accipitur certæ mercedis pactione, ob id apud Horatium dicitur conductus nummis, hoc est, fœnore sumptis, & paulò pòst vsuras vocat mercedem, fitq́; rerum & contractuum confusio ex tali conuentione.*

Solutio. *Nego quòd conuentio vsurarum propriè sit locatio, nam locatio contrahitur earum rerum quarum est vsus, nummorum non est vsus sed abusus, qui vtendo deteruntur, vt quidam alibi docuit sed malè, nam & ædes conductæ vsu deteruntur, estq́; maximus vsus nummorum, qui hoc non intelligit, insipidus est & aqua insipida dignus. Præterea differunt locatio & vsura siue fœnus, quippe contracta locatione eadem species redditur, contracto fœnore non item, quod igitur tendit aliorsum hîc promouere, nihil potest.*

13. argum. *Assumendum denuo reor propter euidentiorem intellectum (nam plerique præter rationem & modum iustum hoc obtrudunt, velut cæci de coloribus iudicantes) quod Christus ait, date mutuò nihil inde sperantes, At leges ciuiles in mutui contractu vsuras permittunt, Ergo pugnanè cum lege diuina, vt clamitant, dicentes potius quàm probantes, quo errore vulgi animis insinuant odium aduersus Romanas leges, quæ prudentissimè disposuerunt de*

modo

modo vsurarum & earum iustitia.

Cùm mutui contractus non minus sit in hominũ commercijs & rebus gerendis necessarius, quàm alia quæuis vsitata conuentio, non modò vt inopes et pauperes eò quasi parato & prompto auxilio subleuentur, sed etiam vt angustiæ ciuium pecuniariæ subueniatur, ambigendum non est, quin ex mutuo non tantùm vsuræ peti poßint, cùm præfixo & statuto die promissa pecunia est, & nisi hoc die expediatur quod venit in promißionẽ, tunc propter moram stipulatio committatur: verùm etiam ex ipso numerationis die vsuræ possunt incipere deberi, si modò iusta illa earum causa intercedat, videlicet cùm creditoris interest, alium eius vti pecunia. Ac vt breuiter exponã quod sentio, quoties æstimatio vsus sortis erogatæ & consumptæ cum detrimento creditoris exigitur quasi vsura rectè, & ordine, & cum iustitiæ temperamento id fit, nam eius damni compensatio, & naturali & ciuili æquitati consentanea est & affinis: vt ita ex hoc cognosci poßit euidenter, qua ratione & certitudinis perpendiculo in hoc mutui contractu leges concedant vsuras, imprimis quidem propter communem Reipub. vtilitatem, cui vniuersa iura famulantur l.2.ff. de statu hominũ. propter quam vtilitatem & multa contra rationem disputandi concessa leguntur l. ita vulneratus sub fin. ff ad l. Aquiliam vnde & in l. 12. tabul. perscriptum est: Salus populi suprema lex esto: Et Cicero lib. 2. officior. dixit, quòd vtilitas sit apta & necessaria vitæ hominum. Interim tamen Conciliatio

in hac materia vsurarum luctatur sæpè vtilitas cũ honestate, Ac Philosophi quidem disputant pro & contra, vt in scholis dici consueuit, nihil esse vtile, quod non idem sit honestum, & vice versa: Ego sic distinguendum puto, omne honestum (bene conside rata & expensa honestatis natura & qualitate) est etiam vtile, sed non continuò quod vtile est id censendum est honestum, imò fortius dicetur, multa esse vtilia quæ tamen in honestatis gradu impingunt, quod quale sit in hoc tractatu vsurarum maximè conspici potest, verbi gratia, vtile est vsuras exercere liberas & vberes, sed iuxta Euangelium & honestatem pietatis, modestißimas, permissum est earum exercitium multis in locis copiosius, tamen non omne quod licet honestum est l. non omne ff. de regulis iuris. Et Apostolus ait, multa mihi licent, sed non omnia conducunt: Iam homines postposita honestatis consideratione sectantur vtilitatem quoquo modo possunt, quò respexit Horatius.

O ciues ciues quærenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Et Ouidius.

Gratis pœnitet esse probum.

Lucanus libro octauo.

Et cole fœlices miseros fuge, sydera terra
Vt distant & flamma mari sic vtile rectò:

Ita vides quod ab vna parte pugnet vtilitas, ab altera proponatur honestas, mens iudicat honestatem sequendam, sed deprauato cordis

humani

humani videat auara propter præsens commodum rapit secum iudicium mentis, Ac fertur equis auriga, nec audit currus habenas. O Malheureuse facon de viure, vt Galli rectè dicunt, de hisce rebus.

Constanter et arctè defendendum sicut & fit ab optimis viris mutui officium gratuitum, minimeq́ quæstuosum esse oportere, Ergo nõ est honesta petitio vsurarum ex mutui contractu: facit huc efficaciter quod Cornelius nepos scribit, Pomponium Atticum (qui fuit vir omni genere virtutum ornatissimus, vnde & placidè mortuus est, vt tradit Paulus Eberus vir doctissimus in suo Calendario) Atheniensibus ita mutuum dedisse, vt neque vsuram vnquam ab eis acciperet, neque longius quàm dictum esset debere pateretur. Ac Lactantius rerum sacrarum industrius scriptor (licet sæpè errauerit) libro 6. de vero cultu Dei cap. 18. si quam Dei cultor crediderit pecuniam non accipiat vsuram vt beneficium sit incolume, quod necessitati subseruiat. 14. Argu.

Ad hoc obiectum in quietem & melodiam redigendum facienda est differentia inter eum qui calamitate aliqua angitur, & eum qui res meliores venatur, nullis rebus aduersis anxius: nam locupletem se facere vigilãti, nullum vllo tempore ius, nulla consuetudinis vsurpatio, nulla denique lex cum pecuniæ nostræ periculo gratis officiũ, tribuere nobis iniũxit, sed calamitate deiecto & mutuum petenti non vt rerum augmenta quærat, sed vt necessitati & angustiæ se vrgenti medeatur & existimat, integrum & plenariũ non defunctoriè officiũ Conciliatio

exhibens

exhibendum statuimus, etiam cum quodam non tamen grandi damno propter amorem & misericordiam Dei, de hac necessitate loquitur euidenter Lactantius in præfato loco, in alijs verò personis inhumanum est cuique suum officium non solùm sterile sed etiam damnosum esse videri, quod verò ad exemplum & factum Pomponij viri præstantissimi attinet, dicendum, illud singulare esse, nec omnes illi similes existere: atque vtinam fieret plurale multiq́ eum imitarentur, iam verò dato vno exemplo nihil de genere concludi posse, plusquam manifestum est.

15. *argum.* *Hebræi prudentissimè vsuram vocant morsum & pastum Neschech Leuit. 25. quod vocabulum* heist eigentlich ein Biß/als so etwas gebissen wird/das jm ein stück entnommen/oder beschedigt wirdt/vnd kompt vom wort Noschach oder Nischich/das heist beissen/also wird der Wůcher billich genant dem/der jn gibt/denn er wird durch solchen wůcher hart außgebissen vnnd benaget/das er nicht viel vbrings mehr behelt: *Hic enim morsus sensim & per particulas patrimonium hominis absumit, quod quantum & perquàm enorme sit scelus, quis ignorat? ac Ius Canonicum non vno in loco dicit varoginem vsurarum: in vniuersum igitur vsuræ proscribantur è Repub. Christianorum.* *Ouid.*

Sed & immedicabile vulnus
Ense recidendum ne pars sincera trahatur.

Est quippe morbus contagiosus nimium exercitium

tium vsurarum, serpit & pastionem habet quasi cancer.

Hæc dicta loquuntur de abusu & excessu, aliàs enim in limitib. proprijs concessa est, ppter vtilitatē hominū vt antea diximus, quippe iuris ciuilis finis est vtilitas, beata, quietaq; vita, omniū statuū, dignitatū in mundo &c. vt pax seruetur legis moderamen habetur, vitaque sit nobis vsus, vsura superfit, vt cecini quondam. Solutio.

Cornelius Tacitus lib. 5. animalium, Sanè (inquit) vetus vrbi funebre malum & seditionum discordiarumq; creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque minusq; corruptis moribus, ac primo sancitum ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cùm antea ex libidine locupletum agitaretur. Deinde rogatione Tribunitia ad semiuncias redacta, postremò vetita vsura &c. Ergo assertio de petendis vsuris non subsistit cum reliquis. 16. Argu.

Ex allegatis Cornelij verbis tantum probatur, vsuras fuisse ob fœnerationem odiosas, & ob id ita semper esse cohibitas, & compressas vt earum modus ad vnciam l. 12. tabularum redigeretur, vbi meminerimus ea de causa minus leges fuisse vsuris, quod cum in mutui contractu mediocres vsuræ tolerarentur, complures hinc capta occasione enormiter illa licentia, ad fœnerationem vsi sunt, ex quo euenit vt vsurarum substantia & conditio (nō quod eas excusare cupiam si malè audiuerint) summum odium incurreret & reprehensiones frequentissimas, à prudentissimus acciperet, ex quo po- Conciliatio

E stea

ſtea difficulter eluctari potuit. vide Plutarchum in commentario quod non liceat fœnerari.

17. *Argu.* *Stipulari vſuras iniuſtum arbitramur, primũ enim in ambigui euentus incertitudinem ſtipulatiõ formationem nanciſcitur, hoc eſt, ſiue lucrum, ſiue damnum contigerit à parte accipientis mutuũ, vnde lucrum quod nec adhuc in rerum natura conſpicitur nec declarari poteſt, & quod an euenire poſſit, pro mutuũ ſumente in ſuſpẽſo eſt: nihilominus tamen velut certò euenturum et extra periculũ collocatum, ſtipulationem non dubitãter ingreditur, quod eſt à iuſtitia alienum, quippe certũ pro incerto, dubiũ pro explorato, ambiguũ pro comperto, fluctuans pro ſtabili, in ſolutionem venit, quod eſt cõtra Arithmeticam proportionem qua Ariſtoteles in Ethicis omnes contractus bona fide initos defendit atq; tuetur, quod cùm ita ſit l. placuit hoc tit. cũ ſimilib. et magna pars traditiõis Iurecõſultorũ de vſuris neutiq; ſubſiſtit, ſed penitus penitusq; labaſcit.*

Conciliatio *Specioſe quidem & plauſibiliter hæc dici videntur, vera tamen per omnia comperiri nequeunt, primum enim ſi cauſa præcedat ex qua & cuius effectu ſtipulatio vſuraria cõfirmetur, quid obſtet quo minus ſtipulatio de vſuris admittatur non video: dantes enim mutuò & inde ſtipulantes vſuras non ſunt ſimpliciter ſine periculo, cùm incertum ſit an ſint recepturi ſortẽ quam certam & non dubiã dederunt, quid enim ſi debitor vſurarius ad pauperta tẽ redigatur & non ſoluendo efficiatur? & ſic dans mutuũ ſub ſtipulatione vſurarũ quod ad futurum*

euen-

euētū attinet, constituetur in maiori periculo quā recipiens & inde promittens vsuras, potest quoniā fieri vt non recipias quod dedisti, iuxta illud,

Multa cadunt inter calicem supremaq́; labra;

vt Accursius alibi allegat hunc versum de futuro & incerto euentu. Item,

Tu quoq; fac timeas & quæ tibi lucra videntur.
Mox damnum fieri lugubre posse puta.

Non negauerim tamen stipulari vsuras ex mutuo interdum iniustum esse posse, frequenter tamē iustum pro vt negocium & causa præsens qualificata fuerit, quod in vniuersum rotundè & præcise definiri nequit quippe facti est l. mora inf. eod. Ac in iure vsitatū est, quod in materia contingenti contrariæ propositiones se continuò non elidāt, verbi gratia, qui habet actionē ad rem, ipsam rem habere videtur, vt sæpè dicūt Iureconsulti, Et rursus, ijsdem dicentib. minus est actionem habere quàm rem, quæ vidētur esse contraria ad inuicem, non tamen pugnant, diuersa quidem sunt, non aduersa.

Ius Canonicum concedit & largitur Iudæis facultatem sub vsuris mutuam pecuniam alijs dandi, approbauit idem & recepit consuetudo, quod est contra Ius diuinum c. quia in omnib. c. super eo. de vsuris. Ac certè DD. in l. 1. C. de summa Trinitate, acerrimè altercantur nūquid Papa cum Iudæis dispensare poßit super vsuris exigendis à laicis, Itē principib. cōcedere, vt in suis ciuitatib. Iudæos patiātur sub vsuris mutuātes. Ad quod dicendū (vt mea fert opinio) sūmū pōtificē potestatē dispēsandi 18. *Collat.*

 non

non habere quoties peccatum emergit, vel quippiam animæ saluti contrtrarium exoritur, quod commentatores Iuris pontificij non negauerunt. Specialiter & principaliter hoc iudulgetur illis propter eorum & aliorum quorundam hominum cordis duritiem, propter quam multa tolerantur pugnantia aliquatenus saltem cum lege diuina, non tamen ex diametro, sed πρός τι propter corruptam hominum naturam, quod & Christus saluator noster testatur in Euangelica Historia, dicens, antiquitus concessum fuisse vnũ habere vxores duas duritiem cordis eorum, non tamen ab initio sic fuisse: Eia quàm degeneres sumus orbe minante ruinam, non sequimur veterum facta decusq; patrum. Ac secundum Ancha. defendi potest, verum non esse inde peccatũ sequi, quippe quantum ad Iudæos res de se nota est, cùm frustra contendat, qui ipsos Iudæos arguere instituit, cùm iam ob eorũ duritiẽ & peruicatiam damnati sint, ita vt potius in eorum peruersis & deprauatis vsib. tolerandi videantur, quam culpandi 45. dist. inct. Et hæc sententia corroborari potest, siquidem vt videtur, publica vtilitas ratio sufficiens est propter quam dispensatio etiã contra ius diuinũ (vt aliqui loquuntur ex doctorib.) effectum sortiatur, si secùs obseruaretur crebrius furta latrociniaq; committerentur, hinc etiã vt grauiora flagitia præuertantur, publica lupanaria, prostibula, scortaq; tolerantur: & quoniam elegans est articulus, vide vberius Io. Art. in regul. peccatũ, de regulis iuris in mercuria, Iason in l. 1. C. de summa Trin.

Trini. Alex. consil. 49. vol. 4. pleni, consil. 1. lib. 2.

Huc pertinet quod etiam iureiurando (quod imprimis rem diuinam concernit) Iudæorum propria superstitione præstito, standum sit, vt Diuus Pius rescripsit l. non erit ff. de iureiur. similiter Modestinus li. 6. regularum ait, Rescripto Diui Pij permissum esse Iudæis vt filios suos circuncidant, l. 11. ff. ad l. Corneliam de sicarijs. Eadē ex causa eis qui Iudaicam opinionem in superstitionibus sequūtur Diui Seuerus & Antoninus honores adipisci permiserunt, sed & necessitates eis imposuerunt qui eorum superstitionem non læderent l. generaliter in fi. ff. de decurio. cur autem (vt hoc obiter dicā) promulgatū sit hoc rescriptum, ostendit Tertullianus in Apo. Alcia. ad l. quidam C. de decurionibus.

His omnibus consequenter & ius Canonicū habuit ꝓbabiles rationes, cur Iudæis permiserit vsurarū frequentationem et assiduitatem, in alijs certè casib. & in alijs Catholicæ fidei hominib. idē ꝑfatū ius grauiter oppugnat vsurarū nimios negociatores.

Cæterū quomodo exerceant vbertim vsuras russi isti Iudæi, & vbi hoc fiat maximè cōspici potest, tanquam in officina eorum Francoforti ad Mœnum vbi propriam plateam habent dictam ab ipsis, die Jüden Gaß: Item in oppido in littore Rheni sito è regione Coloniæ Agrippinæ zu Deutz: sunt & alia loca plurima, in quibus vorago vsuraria exercetur: Interim omnes isti coguntur pendere vsuras siue tributa illis sub quorum territorio viuunt. Est & hoc vsitatum quod scriptum est, fœnus exercen-

tes patrimonij intributionibus fungi debent etsi possessionem non habeant l. filij in fin. ff. ad Municipalem, l. munerum §. susceptores ff. de muner ib.

Illud hoc loco meminerimus, interim plenißimè valere debere dictum Apostoli, non sunt facienda mala vt veniant bona, bonum videntur facere plerique, dum iniustum lucrum admittunt vt consueuit apud multos dulcem odorem reperire ex re qualibet, sed videndum ne dum fortè affatim & nimium principes vitijs Iudæorum remittunt & conniuent in offensionem supernæ maiestatis cum maximis dispendijs incidant scio equidem sæpè necessitatem frangere legem in ciuilibus negocijs, vt & in diuinis, velut Dauid tempore necessitatis comedit panes propositionis: Item Machabæi in sabbatho sine culpa contra decretum legis & ceremoniarũ pugnauerunt. Ita si quis hodie ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur, vnde quod non est licitum in lege necessitas facit licitũ teste Beda in Homil. c. quod non de regulis iuris in 6. sic defensionẽ Reip. amplius quàm semel suscipere nemo cogitur, nisi id fieri necessitas postulet; l. æstimationem ff. de munerib. Atqui non est tanta necessitas vt Iudæos fœneratores inciuiles & horribiles ferre necessarium sit, pertinebat itaq; ad officium principũ hoc in melius reformare & auaritiã anteriorũ temporũ corrigere iuxta præceptũ l. j ff. de interd. et releg.

19. *Antinomia.* *Aduersatur, adhuc quod germana mutui natura vsura aspernatur, quamobrem & apud veteres mutuum erat gratuitũ, quemadmodum Plautinus adole-*

adolescens, si mutuas non potero (inquit) certũ est quod sumã fœnore: Ergo praecedentia subsistere nõ poterunt quib. illatum fuit, vsuras licitum esse in stipulationem deducere vt in mutui contractu.

Illud certum est mutuum debere esse gratuitum si apud omnes esset possibile exulante auaritia & cupiditate nimia hominum, sed cùm illa in hac natura qualis nunc est virus suum exercere non sit desitura, frustra disputatur, & requiritur illa integritas, ab initio quidem potuit esse, sed nunc aliud tempus scilicet corruptissimũ quod longè degenerauit à Saturni illo aureo seculo de quo fabulantur Poëtae, alios mores postulat. Vtendũ nunc est foro: illud hîc considerandũ est praecipuè, cùm principaliter, debitoris gratia mutuum contrahatur, teneri eum naturaliter creditori ad remunerationem. vide ex sequentib. quomodo olim fuerit gratuitum mutuum Anno Millesimo ducentesimo trigesimo nono plus minus, Balduinus Imperator Constantinop. cùm aegrè se ab hostib. inopia aerarij tutaretur, non potuit accipere mutuum gratuitũ, sed filium pignori mercatoribus Venetis ob aes mutuò acceptum dedit, & ex aedibus sacris ablatum plumbũ ac illam lanceam spongiamq; qua Christus saluator noster hinc potus est, hinc vulnus accepit, Venetis pecuniosis vendidit: nunc quoque vix mutuum est gratuitum. Conciliatio

Ouid. Quodq; parum nouit nemo docere potest, Item Syllae Romani dictum celebre, remum trahat qui didicit, Item nemo est in eo doctus quod non 20. collatio

practicauit ac vsus facit artificem, Stygel: Cæteraque quæ adijciat fusius vsus habet: quæ cùm ita sint obijci potest Iureconsultis Theoricis cur hanc prouinciam in humeros suscipiant, quam nunquam exercuerunt, quo referendum propriè quod ante aliquot annos quidam mercator & idem fœnerator nobilis Norimbergæ, homo salsus cùm vidisset libellum cuiusdam docti viri scriptum contra vsurarum abusum, dixit ad astantes, cur ille bonus vir scribit de vsuris, quas nunquam exercuit, permitteret nobis id officium obire, qui de hoc certiorem cognitionem habemus, seipsum notans esse fœneratorem, quod quanquam ipse loco laudis sibi assumebat iocans per risum, iocandum tamen non erat in re peccati plena, sed eò prohdolor dementiæ plærique fœneratores deuenerunt vt putent vsuram istam excessiuam, detestabilem non esse, non erubescentes propria delicta velut laudem profiteri & insuper in illis lætari, quod peccatum ait, Esaias Propheta fuisse quoque Sodomitarum horrendo Iudicio ad perpetuas pœnas(ô miserabile malum & sanguineis lacrymis elugendum si poßibile esset) reseruatorum. Similis malitia & horridior adhuc, apparuit, quando Diues ille Mosche Iudæus Ratisbonæ in Bauaria fœnerator excellentißimus, dicere solebat si quandoque se lætum exhiberet, Domine Deus, gratias tibi ago, qua in multos Christianos tempore vitæ meæ expilaui, vbi ego habito pastores non sunt cari, quia multos rusticos feci pauperes per exercitium vsurarum, qui tum demum

fiunt

fiunt abti ouium vaccarumque: agrestes & rurales pastores, quamobrem (dicebat) filij mei aduertite animum & facile similiter quia facturi estis Deo gratum officium & vobis magnum commodum acquiretis. O vox tartareis emissa paludibus, ô quam si non conuertas sæuus Alastor eris. grobeanicum hoc & Cyclopium prorsus fuit. Ille fuit diro certè polyphemus in antro, multa vorans hominum corpora, plura necans : Aber dieser Jüdischer Neschech ist nu vnsern falschen Christen also wol bekant/das man seiner brüder wol viel nennen kündt

Sed ad solutionem obiectionis redeat oratio: multi de his scripserunt non quasi praxin habentes eorum, licet scientiam cùm Iurisprudentia sit quoque iniusti noticia §. 1. Institu. de iusti. & Iure. sed obtestati omnes sunt vt ab hoc malo tam deformi abstinere velint, ne in Dei iram incidant, quod dixisse oportebat.

Apud Esdram lib. 2. cap. 5. Nebemias præcipit reddi vsuras quas ex mutuo poscebant illi, qui antea mutuam dederant Iudæis pecuniam, frumenta aut alias species: consequens facile attexi potest. 21. *Argu.*

Assumendum sæpius dictum Christi mutuum dandum & tamen nihil inde sperari debere, scilicet ratione mutuationis & officij præstiti, vbi loquitur Christus de officio inter ciues præstando, sicut & lex antea præceperat quod & innotescit ex allegato Esdræ loco: Ac credibile est multos Iu- Conciliatio

dæos nec erga ciues legem seruasse, retrabit igitur Christus Iudæos ad vocem & normam legis, hæc solutio est Philippi Melanthonis in Ethicis.

22. Argu. Apostoli habuerunt bona sua communia, vt ex actis à S. Luca medico perscriptis cōstat, dandū itaq; mutuo cōmuniter sine vlla pactione vsurarū.

Solutio. Constat tempore Herodis multas expilationes fuisse, Apostolosq; passim afflictiones passos, dum pro Christo legatione fungerentur inter gentes & varios populos, vnde coacti fuerunt sua bona distrahere, & in commune conferre vnanimiter, hoc igitur Exemplum quasi singulare ad imitationem trahi non potest cùm dissimilitudo in hoc & aliis manifesta conspiciatur vt alterum ex altero iudicari non possit neque debeat.

23. Argu. Creditor accipiens vsuras ex mutuo plus accipit quàm dedit, quod est contra Iustitiam & Arithmeticam proportionem, qua contractus omnes conseruantur cum ea exhibeat communicationem rerum cum æqualitate, quippe hac labefactata altera pars exhauritur, & bonis suis emungitur ad paupertatem inclinata.

Conciliatio Cùm creditor ex mutuo plus accipit quàm dedit non delinquit & hoc propter vsum pecuniæ suæ qua carere cogitur: semper etiam qui dat mutuum alteri præsumitur prægrauari, propter periculum, ideo iustum est illi in hoc consuli, rependat etiam mutuatarius ea quæ vtenda accepit vberiore mensura si poterit iuxta Hesiodum, ac liberale est officium præstare vt possis metere: denique in vniuersum

uersum tenendum de his controuersijs, mutuationem esse duplicem, alteram officiosam, alteram damnosam, in officiosa mutuatione simpliciter est seruandum dictum Christi, date mutuo nihil inde sperantes., confer haec cum quinto contrario supra.

Eius quod multipliciter exponitur ignoratur veritas quae simplex & vna est, velut Deus qui ipsa veritas est, Ioan. 14. vnus est, mendacium autem varium & multiplex coloratumq́, at dictum Christi, date mutuum nihil inde sperantes, variè & multis sensibus interpretum obnoxium est, Item multorum interpretum censura de vsuris non concordat, nec in vna sede moratur: Igitur de his veritas nondum manifesta est, & potest dici cum Philosopho quod sit submersa in profundo puteo. 24. Argu

Verùm est probdolor multorum expositiones in iure ciuili esse peruersiones, vt Iustinianus ipse testatus est, tanta emergit libido scribentium quorundam qui non sunt docti, ad rem sanctissimam (teste Vlpiano) Ius ciuile cuius olim possessio iuxta Ciceronem apud solos principes fuit, illotis (vt aiunt) manibus accedentes: Nec tamen omnes vna pertica metior. Sed ad obiectionem respondendum iudicio quodam subducto meliorem sententiam inter multas esse eligendam & retinendam, dubium non est: dicunt D D. vbi gloss. ponit multas opiniones, veluti exempli causa, vel dic vel dic vel dic & saepius vel dic, & iterum, Solutio.

& iterum, vel secundum aliam lecturam vel secundum Salycetum: retinendam esse eam opinionem quæ postremò loco ponitur, quasi hoc sit melius & rectius quod postremo loco positum deprehẽdatur, si Dijs placet: quod verò ad plures expositiones dicti Christi attinet liberum & integrum est lectori eligere, id quod melius & rectius est quod non erit difficile factu ex his quæ attulimus.

25. *Argu.* *Quorsum admittimus vsurarum emolumentum, ita vt ex re sterili lucrum faciamus sicut inquit Iureconsultus, nummi ex eo die steriles non erunt l. debitor infra eod. quod fit contra naturam pecuniæ quam hoc modo conuertimus ad quæstum ex aliena re alienaque industria fructum demetentes, vnde & seruus obijcit Domino suo tanquam peccatum, inquiens, metis quod non seminasti.*

Conciliatio *Si nimis auarè & edurè vsuram ad quæstum transferamus, & hoc modo ex alieno labore lucrũ aucupemur, vsuram multo maximè condemnandã, hoc nomine esse, et veluti lenocinio comparandam, indubitati iuris est, nam hoc pacto tendit & vergit in perniciem hominis, quod est proprium fœnoris excellentissimi, nos verò longum interuallum ponimus inter vsuram legitimam & fœnus excessiuum, ita quod vsura repetat quodammodo vsum & vsus ipsius æstimationem: vt cùm pupillus à tutore, gener à socero, fideicommissarius ab hærede, vsuras pecuniæ sibi debitæ petunt, quibus illi vsi sunt moram facientes atque hoc permissum esse constat non tantum ciuili, verùm etiam naturali & diuino*

& diuino Iure, dum enim præfatæ personæ ex aliena re suum compendium quærunt, alterius negligunt, ad compensationem vel ad vsuras compensatorias astringuntur legibus in id suffragantibus.

Christus nusquam fecit mentionem, vsurarum de quibus Iureconsulti loquuntur, neque modum illus præscripsit vt Iureconsulti, imò damnauit eas cùm tamen alios contractus non dãnauerit. 26. Argu.

Aliorum contractuum vix facit mentionem vsurarum tantum, atqui cùm Christus vnius generis vsurarum mentionem fecerit, de cæteris nihil dixerit, sequitur quod eas damnauerit, quod abhorret à sensu cõmuni, vt si vellem dicere, Christus non fecit mentionem huius contractus, ergo non est licitus quod est absurdum, ita de vsuris quoque iudicandum, modum vsurarum non possumus petere ex Euangelio, sed ex libris Iureconsultorum qui eum auctoritate publica instituerunt approbante Deo totum ordinẽ politicum Rom. 13. cap. veluti Ioannes recipit milites facta collatione de ipsa militia concessa: Rep. approbata diuinitus, omnes eius partes approbantur, iam in toto partes contineri non est dubium c. in toto de Regulis Iuris in 6. At vsura in libris iureconsultorum magnam partem & tractatum habet, & in omnibus fere negocijs vsu venit vsura, vnd hat geheissen netz vnd warer gebrauch vieler händelung bey den alten Juristen/sed adhuc de obiectione ex dicto Christi attexamus pleraque : Christus Solutio.

vult multa gratis concedi vt in mutuo & alijs quibusdam, Leges Iureconsultorum etiam vt in mandato, & alijs compluribus, neque tamen pugnat dictum Christi cum iureconsultis, qui mediocre lucrum concedunt ex vsuræ conuentione & mutuo, loquitur Christus spiritualiter, iureconsulti ciuiliter diuersissimè, Ius ciuile respectu præceptorum Christi est imperfectum & mutilum, præcepta verò CHRISTI perfectissima, quo intellecto negociatio vsurarũ in vsu vero tam est licitus, quam vllus alius contractus vt multis & firmis argumentis obtineri posset: tolerantur sartores plerunque fures & horribiles fœneratores, tolerantur molitores, nautæ, aurigæ, venditores equorum, so man die Roßteuscher heist & similes farinæ homines, qui magnas vtinam non plenas centesimas deciderent à rebus quarum curam vel tractationem in se receperunt, & siue clàm siue manifestè id fiat (tam impudentes sunt) ipsis nihil curæ est, (In his enim etiam quasi vsuras collocauimus infra l.34.§.hoc idem in cæteris,) Ac velut in præfatis modus difficulter obseruatur, ita & in vsuris, paribus igitur passibus vadunt nec est quod quidam differentias vsurarum non satis intelligentes magis vituperare velint abusum vsurarum, quàm reliquorum contractuum, mercaturarum, negociationum: Hæc dum scribo venit mihi in mentem de quodam Danico pastore, qui cùm multum esset concionatus contra vsuras, postea quidam Nobilis qui hæc audiuerat, vocauit eum ad prandium

dium : iam præsente pastore mediocriter potius Nobilis, interrogauit pastorem qualis nam esset diues an pauper, respondit pastor se pauperem esse, honestum tamen, ibi Nobilis qui fœnerator erat, dixit: cur magis vituperas vsuram quàm alia vitia, certè non reprehenderes vsuras si diues esses (wee sagt das wůcher sunde sy / der hat kein gelt das glaub du mir *vt plurimi habent fœneratores id in ore tanquam loco prouerbij) quippe te existente diuite, collocares pecuniam ad vsuras, iam cùm id non possis, nec pecuniam habeas maledicis vsuris, potuisset & hoc dixisse Nobilis ille, Philosophi olim contemnebant pecunias cùm eas habere & nancisci non possent, postea idem hic Nobilis obtulit pastori decem daleros velut donaturus, addito, hanc pecuniam acquisiui ex vsuris, existimans pastorem recusaturum fuisse eam tanquam iniquum lucrum: ibi pastor, ego eam tenebo loco Eleemosynæ habeas tu peccatum quod exercuisti vsuras, ego pecuniam, certè hic pastor satis cautus & animosus fuit, & vter alterum luserit, Lectori iudicandum relinquo, Historia verè accidit, sed iam audi fœneratorem contra nos arguentem.*

Volenti & consentienti non fit iniuria l. nemo videtur fraudere ff. de regulis iuris, l j. §. vsque 27. *Argu.* *adeo ff. de iniurijs & famo: recipientes pecuniam sub fœneratione vidētes & sentientes, imò bene intelligētes quid nam agatur, obligant se ad vsura-*

rum

rũ præstationem, Ergo in hoc non delinquunt mercatores fœnerationem erga huiusmodi exercentes.

Solutio. Non semper hoc verum est, volenti non fit iniuria. Ecce enim virgini persuasæ vt præbeat copiam sui corporis licet consentiat, maxima tamen illi iniuria infertur, errat illa in consensu, at nihil est tam contrarium consensui quàm error l. si quis ff. de iurisdiction. similiter accipientibus pecuniã sub fœnore excessiuo, infligitur iniuria, hi enim ob præsens commodum & liberationem periculi, quod ipsis imminet propter debitum & æs alienum contractum, etiam inuiti & nolentes acceptant pecuniam sub ingenti fœnore datam, cuius exitus & solutio propter vsurarum excrescentiam ad perniciem eorum vergit: illi lingua quidem in ingressu conuentionis vsuras approbant & recipiunt in se futuram earum solutionem propter antedictam rationem, sed mentem ab ijs in effectu abhorrentem habent, non secus ac Hyppolitus lib. 3. officior Ciceron. ait, lingua iuraui mentem iniuratam mecum fero.

28. argum. Ex mutuo non deberi vsuras plurimi directò tenent, cùm Christus eas simpliciter prohibere videatur alij contrarium asserunt, in quorum numero collocantur Iureconsulti, nos iuxta hypothesin quam posuimus de vsurarum iustitia ponimus ex mutui contractu vsuras iustè deberi, & per hoc soluendas venire, quod quãquam facilè euincitur ex his quæ hactenus diximus, tamen euidentioris intellectus gratia altior declaratio negligenda non est: Deducimus igitur consequẽter, quod ex mutuatione vsuræ sol-

ræ soluendæ veniant, verbi gratia, qui Domino inuito nonnihil & ægre ferente (vt non semel audiui dici ab innocentißimis: Es kam gestern einer der entlehndē mir zehen daler ab/ich hets nit gern gethan/doch zalt ichs jm & similia) pecuniam ipsius dispensat ad suum arbitrium, tenebitur vtique ad gratitudinem et recompensationem, vnde & compensatoriæ vsuræ introductæ sunt: qua de causa illud negari non potest, Creditore non bene contento (est quidem contentus, sed non simpliciter, nisi videlicet aliquid pro hoc suo officio quod aliàs ipsi fortè damnosum foret, cōsequatur) Debitorem habere exercitium suæ pecuniæ, cùm ipse eam in omnem euentum malit habere pro suo ipsius emolumento: videtur igitur aliquid debere interuenire, quo æqualitas inter vtrunque seruetur, quod erit legitima vsura & vsus ipsius pecuniæ qua carendum fuit, æstimatio, quasi damni timendi compensatio & eius quod sua intersit hactenus caruisse vsu suæ pecuniæ, si igitur hoc petat siue vsuram voces, siue damni compensationem, non est magnoperè digladiandum rem ad se iure pertinentem petere videbitur, & sic antiqui Iureconsulti semper loqui consueuerunt quos errasse & hallucinatos esse peregrinum esset asserere cùm tanto consensu hoc probatum sit. Accedit inspectio ex altera parte in persona mutuatarij, qui nequaquam peccat si plus dat quàm accepit, velut Hesiodus græcus Poeta prodidit, dum inquit, vtendum accipe à vicino optima mensura eademque

illi redde quod accepisti, aut etiam vberiori si possis vt alio tempore denuò queas ab eo vtendum aliquid accipere: Si igitur iuxta Hesiodum plus reddiderit mutuatarius quàm accepit gratum animum beneficij non immemorem declarabit, neque si creditor id acceperit magnoperè delinquet, rectiùs tamen fecerit, si beneficij aut gratiæ vice id acceperit, non quasi iure sibi debitum, qua ratione id quod non valet in directo poterit valere in obliquo, vt sæpe in iuris practica contingit. Huc propriè pertinet Vlpiani dictum: multa honestè accipiuntur, quæ tamen inhonestè petuntur, omitto quod omnis mutuatio plerunque damnosa sit eoque meretur compensationem, lucrosa rarius contingit, sed tamen ne in his peccetur vt solet grauissimè distinguendæ sunt personæ & reassumendum quod superius diximus, quot modis in vsuraria doctrina personæ spectentur: Tres igitur sunt ordines hominum in hac vita, & cuiusque ordinis homines iuuare iubet Dominus, & ipsa natura officijs, beneuolentia, & alijs medijs, sed dissimili ratione & modo, quidam sunt pauperes qui ineuitabili paupertatis necessitate adiguntur ad mendicitatem, hi acceptum reddere nequeunt, de quibus loquitur Basilius Magnus ante annos vndecies centum Episcopus in Cæsarea Psalmo 15. Si es diues nihil sumas mutuo, si pauper etiam nihil, quia non poteris restituere, sed ipse non posuit medi-

um

um tantùm de duobus extremis locutus est malè. Alij sunt indigentes, quibus auxilio alieno ad tempus opus est, sed non semper, bi aliquando acceptum restituere possunt. Tertij ordinis sunt qui possessiones tenent, quibus de suo satis est, qui ad tuenda vitæ necessaria commoda alienis rebus ac bonis non indigent. Ex hac ordinum distributione iudicium sumendum est de his quibus gratis debeatur concessio mutui, saluo tamen capitali & cùm quibus liceat pacisci de lucro. Ac leges Mosaicæ testantur Dominum ipsum in Israelitica politia populum suum distribuisse & digessisse in hos tres ordines, ac ostendisse quo pacto humanitatis officia distribui deberent. Iam satis innotescit quod primi generis homines sint gratuito iuuandi mutuo, quod simile erit ferè Eleemosinæ vt da pauperi & fœnerabere Domino. Secundi generis hominibus non gratuito, si ita placuerit, quia reddere possunt aliquando vel post certum tempus. Attamen in his sæpe gratuita mutuatio exercenda est, quòd circumstantiæ docere possunt, quæ maximè considerandæ sunt in his: Aristoteles, qui ad pauca respicit facilè enunciat, ideo circumstantiæ sunt inspiciendæ: de tertij generis hominibus notum est quid seruandum sit ex l. eos C. hoc titul. His iam positis, qui CHRISTI præcepta de gratuito mutuo referunt ad omnes promiscuè & indifferenter introducunt ab-

surdam confusionem & ἀταξίαν rerum ciuilium, hoc faciunt qui negant praescriptum à Iustinian, modum vsurarum salua conscientia retineri posse in vsu, vt alibi de hoc tractatum esse memini, quod autem id ita se habeat ita exaudiri sequentia opus fuerit: Deus praecepit ne reluctemur malo, ne arrogemus nobis iudicium nec condemnationem aliorum, neque litigemus iudicialiter, neque vsurpemus iuramenta & vt praebeamus alteram maxillam inferenti alapam, nec reuocemus nobis sublata auferenti tunicam concedamus & pallium, item vt hostes amemus & conferamus beneficia in eos, qui nos odio prosequuntur. Item vt renunciemus nostris, vt petenti omni demus necessaria, vt inuitemus miserrimos & afflictissimos ad conuiuia & non amicos, fratres, cognatos, vicinos, diuitesque qui vicem huius inuitationis recompensare possunt. Item vt pro nihilo acceptum pro nihilo demus. Item vt non habeamus aurum neque argentum in via, neque portemus aes in zonis neque peram, tunicas geminas, calceamenta & alia similis farinae: Iam si haec peruersè opponerentur ciuilibus ordinationibus & politicis negotijs, equidem nihil remaneret aut ordinarium in vlla Republica quae Iudicia constituit, iuramenta concedit, praescribit & largitur modum defensionis, & libertatis retinendae, &c. De his non loquitur CHRISTVS qui praecipit vt aliquando de nostro iure cedamus & sectemur charitatis officia.

officia. Igitur CHRISTI præceptum de datione mutui gratuiti non pertinet ad tertium genus hominum de quibus diximus (pertinet quidem, sed non de necesſitate cùm ipſi diuites ſint) vnde neque pacta moderati & liciti lucri, quod pro vſu, aut pecuniæ, aut rei alicuius iuſto æqualitatis iudicio accipitur, maximè ab hominibus tertij ordinis improbanda ſunt, ac non eſt dubium Chriſtum intelligere per vſuram quam prohibet eam qua alius nimium læditur contra pietatis officium, non de iuſtis vſurarum pactionibus, de quibus Iureconſulti loquuntur. Ac maximè intelligit ſecundi generis homines, qui opprimi ſolent vſuris nimijs, de primi generis hominibus non eſt periculum, nam ijs vtpote pauperibus nemo dat mutuum, vt nunc ſunt mores, medij ordinis exhauriri ſolent. Tertij non ſimiliter, obſerua optime lector hanc perſonarum diſtinctionem, in hoc tractatu vſurarum diligentiſſimè & confer cum l. eos C. hoc titulo vbi Iuſtini. etiam diſtingui perſonas.

Vſura eſt vſus ipſius precium, vt ſuperioribus declaratum eſt, quo proximus noſter affligitur, receptor enim occupat alienum bonum per vſuræ petitionem, quo facto agitur ex cuiuſque libidine, nec mutat quod vſurarum exercitium moribus iampridem receptum ſit, & quaſi non ſcripto iure vſuræ debeantur, nam diuturni mores licet ius non ſcriptum referant, cui & ſtatur vt iuri ſcripto, quoties tamen admiſſi iſti mores offendunt 29. Argu.

 rationem,

rationem quæ est anima legis non debent in posterum obseruari, non enim quid Romæ factũ sit attendendum est, sed quid fieri debuerit l. sed licet ff. de officio præsidis.

Solutio. Ex vsu pecuniæ nostræ quã alius habet quodam pretium petere non est censendum iniquum, quippe sæpius dum alij habent nostrum æs apud se deserimus & perdimus oportunitates oblatas augendæ nostræ rei familiaris, crebrò insuper destituimus eos, quos si haberemus in promptu nostram pecuniã consanguinitatis respectu vel alterius rei causa adiuuare cuperemus, & ob id vel gratia illorum excidimus, vel alia nos incommoda inde excipiunt, vnde non quælibet vsura præstatur propter lucrum, sed vt & damnum arceatur, quod & debitor ipse apud seipsum facilè ratiocinari potest & colligere, nec vir bonus secus statueret, aspice enim dũ nõ soluit moramq́ trahit alter, negociũ non dormit, sed maturatur dispendium. At creditor dum hæc procrastinatio contingit de damni auersione cogitat, nihil itaque iniustitiæ aut improbitatis obtendi poterit, quo minus creditor debuit admittere precium aliquod ob id quod caruit pecunia, quàm debitor vsurarius ad placitum & arbitrium vsurpauit suum: fortius dicetur perpendendum periculũ inprimis esse, quid enim si alter laberetur facultatibus nónne erit vsura quasi periculi precium? arg. l. periculi inf. de fœnore nautico. Quod verò attinet ad mores huius temporis, quibus ita vsurarum exercitiũ radices egit, vt vix aboleri posse videatur,

deatur, difficilior est responsio & plerique subsistunt, nam contra mores inueteratos anni currentis niti est quasi laterē lauare (vt dicitur puerbio) Ouid. Erexisse animum contra sua secula rectum vix iuuat.

Ac deest remedij locus vbi ea quæ vicia sunt in mores conuertuntur, ita patienter ferendū quod commodè mutari non potest, quòd attendentes iureconsulti dicunt tolerabilia esse quæ vetus & inueterata cōsuetudo approbauit l. imperatores ff. de pollicit. et cōsuetudo attenditur l. non tantum ff. de decurionib. Item ex more regionis vsuræ statuuntur l. 1. infra hoc titu. Illud hoc loco silētio præteriri vix debet, sæpe in multis locis indigenas mala consuetudine affligi non attenta nec exaudita ratione, adeò contumax est populus, quæ difficulter se rectis legibus subijcit, mauult peruersam consuetudinem sequi quàm recta statuta. Ita antiquissimus hominum scriptor Moses Dei iussu recta decreta in Repub. Israelitica siue Hebraica tulerat, sed obedientia rara executio eorum difficillima, & nisi mera impedimenta in obseruatione legum à se propositarum animaduertebat, quod nunc quoque accidit, multi scribunt contra fœneratores, sed plus quàm nihil proficiunt.

Imperator mandat obseruari quatuor generalia Concilia, & in eis deposita, in quib. vsura est probibita vt l. 1. C. de summa Trin. & fid. Catho. 30. Argu.

Respondendū secundū practicā D. Ioan. Petri de ferrarijs, sub forma libelli, in actiōe Hyppo. quodī Solutio.

cæteris præterque in vsuris mandat d. consilia obseruari, si enim ad vsuras Imperator se referre voluisset, iam non specialiter & expreßè super illis tractatum sic prolixum & earum permißiuum inseri voluminib. ff. forum, & C. & Auth. mandasset, nec Papa cui tunc ipse notitiam fecit de compilatione per eum facta C. & aliorum librorum, consensisset prout facit, sed probibuisset vt dictæ vsuræ concederentur, adde cùm ipse Papa tunc consenserit vt habetur in epistola, Inter claras & epistola, reddentes honorem C. de summa Trinitate, nec expreßè ordinationi Imperatoris contradicit, videtur secundum eos concludi posse quod ipsæ vsuræ sint permissæ tam à Papa quàm ab Imperatore & sic vtroque iure: Sed obijcitur adhuc contra hanc solutionem, negari non posse ius diuinum non infrequenter cum iure Canonico probibere & reijcere vsuras, sicut & apud Aristophanem in nubibus describitur τόκος esse belua quædam, quæ ex progressu temporis argentum semper numerosiore fœtura progeneret, comparat & alij beluæ vsuram Bald. consil. 440. nu. 8. parte 3. quod lectione dignißimum est, quid dicetur ad hac, certè dignus vindice nodus & Oedipo coniectore hîc opus fuerit.

Solutio. *Vsuram mediocrem nemo vnquam sapiens damnauit sed excessum, qui cum dãno alterius grassatur, quod est quiddam crudele, alterius enim incommodo suum augere commodum magis est contra naturam quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ nobis incommodare possunt,*

vt per

vt per longum Cicero lib.3.officio. inquirit: verùm in medio consistere vsurarum non est vituperabile: Audi Thomam de Aquino in suo libro qui intitulatur Secunda secundæ q.76.aliàs 78. dicentē, quòd liceat habere commoditatem quam vsuram appellamus, & præmium ex argento in massa commodata vt de equo aut domo vel libro ad vsum mutuò concesso, vel commodato, cur ergo non idem obtineret in pecunia mutuò concessa? præterea secundum eundem Thom. licet præmium accipere de pecunia alij concessa ad ostentationem, vel ad ponendum loco pignoris, cur ergo non sic dicetur in pecunia ad numerum concessa? quod verò reprehenderunt vtraque iura largiores & vberiores vsuras, ita vt tandem per abusum visa fuerint iura Canonica eas penitus prohibere, causa fuit multiplex, secundum aliquos vt refert Inno. in c.1. de vsuris: prima fuit ad euitandum auaritiæ crimen, ne homines fierent Idolatræ, quia scriptum est, vbi thesaurus tuus ibi & cor tuum: sed reliquas causas nimis prolixum foret persequi, præcipua fuit quod voluerunt hominibus adimere peccandi occasiones.

His itaque positis & introductis cum obiectionibus & refutationibus, ad saluandum (vt astronomico verbo in hac re apto liceat vti) & conciliandum litigiosum dißidium de vsuris, quas quidā imperitè in vniuersum damnant, sequentem hypothesin quasi ἀίτημα *siue postulatum Euclidis præmittens, pono & aio, quod vsurarum aliæ lucrum, aliæ compensationem, pleræque pœnam spectent: suntq́*

omnes iustæ & legitimæ rectè & ordine intellectæ: Amplius, hoc etiam dicendum existimo quod in ingressu agentium licitũ sit stipulari vsuras, quatenus legib. datum est, nec enim hoc remotum est ab hominũ vtilitate cui vniuersa iura famulantur.

De primo genere.

Lucratiuæ ex causa descendentes vsuræ, æquissimæ sunt, & nomine fructuum, accessionum, causarumq́ sæpißimè veniunt, has vsuras lucratiuas si è medio sublatas esse velimus, omnes contractus mundi, quos vsurarios esse plusquam manifestum est, suspectos faceremus: At hos contractus vocat Salomon iudicia Domini dar Gott auff sicht vnd vberhelt/ vt Hæbrei rectè exponunt, vult tamen Deus in his & negocijs similibus externis humanæ societatis, conuersationis, & indigentiæ, custodiri proportionem æqualitatis Arithmeticam non Geometricam, cum vtriusque contrahentis vtilitate & conuenientia, vt cùm Mercator aliquis petit magnam pecuniam mutuò sibi dari à tenuiore, qua ille tenuior carere non potest sine incommodo, & aut non constituitur tempus solutionis, aut nimis longum præfinitur, hîc manifestum est mutuationem alteri damnosam esse vt autem mutuatio non debet esse captatio auari lucri, ita danti non sit damno, ac iniustum est velle aliquem locupletari cum damno alterius, vnde Paulus ait, nemo fratrem suum in negocio circunueniat 1. Thessalon. 4. quod verò iura concedunt interdum deceptionem eamq́ dicũt naturaliter indulgeri posse l. item si precio §. vlt. ff. locati l. quod venditor ff. de

dolo

dolo, cum similibus, non est huius propositi iam excutere. Huc refero & accommodo pensiones: & reditus quos ex prædijs nostris percipimus, nam hi sunt reuera vsuræ lucratiuæ. l. prædiorum l. vsuræ inf. hoc titul. Et in constitution. Nouell. 160. *per expressum vocat Iustinianus annuam pensionē reditus germanicè* Renthen. *Audi & Scæuolam dicentem: Interim tamen reditus eius, hoc est, vt ipsemet exponit vsuras semisses ei præstes l. alumnæ ff. de adimendis vel transferendis legatis. Iam si disputauerimus an reditus quotannales iustè percipiantur & salua conscientia (vt Theologi loquūtur) quis erit finis inutilium quæstionum? conticescant igitur istæ cùm non ædificent. Carolus quintus qui Anno* 1558. *mense Septemb.* 21. (*vt Antuerpiæ scriptum legitur in templo diuæ Mariæ ad latus orientis* auff das Roer *vt vocant*) *die mortuus est, concessit Augustæ Tiberiæ in contractu societatis de* 100. *quinque. Idem in anniuersarijs reditibus complures seculares Domini concesserunt, aliquando largius etiam: non tamen sic lucratiuæ vsuræ exaudiri debent, vt fœnus excessiuum quod lucratiuum sit, sub ipsis comprehendatur, nam cùm fœnus ex ipsis quidem nummorum corporibus vt Hotomannus malè intelligit, lucrum captet excessiuum simpliciter est iniquum, sed quia modum superat & nimis magnam obligationem constituit in vsuris, ideo est iniquum, quis enim vnquam sanus ausit dicere, fœneratores captare lucrum ex ipsis corporibus nummorum,*

sed

omnes iustæ & legitimæ rectè & ordine intellectæ: Amplius, hoc etiam dicendum existimo quod in ingressu agentium licitũ sit stipulari vsuras, quatenus legib. datum estq̃, nec enim hoc remotum est ab hominũ vtilitate cui vniuersa iura famulantur.

De primo genere.

Lucratiuæ ex causa descendentes vsuræ, æquissimæ sunt, & nomine fructuum, accessionum, causarumq̃ sæpissimè veniunt, has vsuras lucratiuas si è medio sublatas esse velimus, omnes contractus mundi, quos vsurarios esse plusquam manifestum est, suspectos faceremus: At hos contractus vocat Salomon iudicia Domini dar Gott auff sicht vnd verhelt/vt Hæbrei rectè exponunt, vult tamen Deus in his & negocijs similibus externis humanæ societatis, conuersationis, & indigentiæ, custodiri proportionem æqualitatis Arithmeticam non Geometricam, cum vtriusque contrahentis vtilitate & conuenientia, vt cùm Mercator aliquis petit magnam pecuniam mutuò sibi dari à tenuiore, qua ille tenuior carere non potest sine incommodo, & aut non constituitur tempus solutionis, aut nimis longum præfinitur, hîc manifestum est mutuationem alteri damnosam esse vt autem mutuatio non debet esse captatio auari lucri, ita dant i non sit damno, ac iniustum est velle aliquem locupletari cum damno alterius, vnde Paulus ait, nemo fratrem suum in negocio circumueniat 1. Thessalon. 4. quod verò iura concedunt interdum deceptionem eamq̃ dicũt naturaliter indulgeri posse l. item si precio §. vlt. ff. locati l. quod venditor ff. de

dolo

dolo, cum similibus, non est huius propositi iam excutere. Huc refero & accommodo pensiones: & reditus quos ex prædijs nostris percipimus, nam hi sunt reuera vsuræ lucratiuæ. l. prædiorum l. vsuræ inf. hoc titul. Et in constitution. Nouell. 160. *per expressum vocat Iustinianus annuam pensionẽ reditus germanicè* Renthen. *Audi & Scæuolam dicentem: Interim tamen reditus eius, hoc est, vt ipsemet exponit vsuras semisses ei præstes l. alumnæ ff. de adimendis vel transferendis legatis. Iam si disputauerimus an reditus quotannales iustè percipiantur & salua conscientia (vt Theologi loquũtur) quis erit finis inutilium quæstionum? conticescant igitur istæ cùm non ædificent. Carolus quintus qui Anno* 1558. *mense Septemb.* 21. *(vt Antuerpiæ scriptum legitur in templo diuæ Mariæ ad latus orientis* auff das Koer *vt vocant) die mortuus est, concessit Augustæ Tiberiæ in contractu societatis de* 100. *quinque. Idem in anniuersarijs reditibus complures seculares Domini concesserunt, aliquando largius etiam: non tamen sic lucratiuæ vsuræ exaudiri debent, vt fœnus excessiuum quod lucratiuum sit, sub ipsis comprehendatur, nam cùm fœnus ex ipsis quidem nummorum corporibus vt Hotomannus malè intelligit, lucrum captet excessiuum simpliciter est iniquum, sed quia modum superat & nimis magnam obligationem constituit in vsuris, ideo est iniquum, quis enim vnquam sanus ausit dicere, fœneratores captare lucrum ex ipsis corporibus nummorum,*

sed

sed respectu eorum captant & ex obligatione, idē error vexauit olim Aristotelem cùm obtrusit nobis sterilitatem nummorum quem postea alij quamplurimi secuti similiter hallucinati sunt, & quod hoc ita sit probatur apertissimè in l. vsuræ ff. de verborum signific. l. si nauis ff. de rei vindicatio.

De secundo genere. *Dans efficacem causam damni debet facere compensationem iuxta præceptum domini: Non furtū facies, quia iustitia est communicatio cum æqualitate, iustè igitur debentur vsuræ compensatoriæ siue compensationem inferentes l. Caius Seius infra eod. verbi causa, Emptor si mora facta soluit precium sine vsuris, accipiet etiam rem sine fructibus atque ita compensantur fructus cum vsuris precij, veluti venditore rescindente venditionem beneficio ætatis, fructus medio tempore percepti ab emptore compensantur cum vsuris precij, fit tamen restitutio rei & precij, fructuū verò & vsurarum fit compensatio adinuicem, vide Paulum lib. senten. tit. de minoribus. Eodem modo si supra dimidium iusti precij fraus interuenerit, emptor habet in potestate eligere vt vel quod deest iusto precio soluat cum vsuris medij temporis, vel rem redhibeat sine fructibus, nam compensabit fructus quos percepit cum vsuris precij, quo venditor vsus est medio tempore, qua de re durissima est contentio inter DD. l 2. C. de rescind. venditio. sed ita terminatur ex Harmenopol. ex Nouell. quadam lib. 3. Epit. titul. 3 adde huc titulum ff. de compensationibus.*

De tertio genere. *Pœna plærunq; coërcet homines, vt fidem præstent*

ſtent l. pacto cum ſequi ff. de tranſactionibus nec videntur defraudari, qui ab initio in eam conſentiunt, & ſponte ſe ad eam obligant l. lecta ff. ſi certum petatur, qua de re vſuræ quæ ad pœnam vergunt, vel nomine pœnæ infliguntur optimo iure debentur, verbi cauſa, tutor condemnatus appellauit fruſtrationis cauſa (quam impunitam eſſe non oportet) vt ita traheret & differret ſententiæ latæ executionem. Is poteſt condemnari de vſuris medij temporis, exemplum pœnalium vſurarum eſt in l. qui ſine ff. de negocijs geſt. ſuntq́; nihil aliud hæ vſuræ quam punitiones quædam in re priuata inter priuatos ortæ ex alterius delicto, vel culpabili facto: hæ verò cæteris grauiores eſſe ſolent d. l. qui ſine: denique vſura ſæpe pœna nominatur & in pœnam interpoſitæ moræ petitur, veluti in ea ſtipulationis formula quam Paulus tractat. ſi ea die ſupra ſcripta ſumma Publio Mæuio data non erit, nunc eo amplius quo poſt ſoluam pœnæ nomine in dies xxx. inque denarios centenos donare ſpoſpondi d. l. lecta, &c.

Pœnarum vſuræ peti non poſſunt l. fi. ff. de magiſtratibus conueniend. l. 1. C. de fiſcalibus vſuris. **Argumentum cõtra.**

Non loquitur hic de vſuris pœnarum locus, ſed tantum de vſura pœnali, vel de vſura quæ vocatur pœna, & hæc in ſtipulationem ſubditam deducta, & conſequenter promiſſa, rectè & ordine debetur, & ob id peti poteſt, licet verò pœnæ vſura exigi non poſſit, mulcta tamen exigitur ſi non **Solutio.**

ſolua-

soluatur intra tempora iudicati l.1.C. de fiscalib. vsuris,& d.l.fi.de Magistratibus.

Huc refero & illam speciem, concessum est iudici irrogare victo sumptus per partem aduersam in iudicio super lite factos, eundemque ad eorum praestationem cogere, ac supra illos sumptus etiam (quos poenae nomine rectè infligi existimo) vsq; ad eorundem partem decimam eum grauare,, Iustin. Nouell.constitut.112.Illa ipsa autem pars vt plurimum fisco cedit, sed quandoque si quidem iudici placuerit, parti quae superior euasit, propterea quod iniustè attrita est,ex illa decima quantum iudex decreuerit, dari solet,ita allegat id etiam D. Bernhardus à Rey.Ireconsult celebris.

Practica forensis.

Huc pertinet interesse poenale, quod ferè nihil differt ab vsura poenali vt consequenter ex communi & germanica practica intelligi potest.

Ein Richter der sich auß gaben oder durch gnad oder sunst corrumpieren vnd bewägen lasset/ist der belaigdigten parthyen jr *interesse* zubekeren schüldig *in poenam ipsius. Ita est textus in l.fi.C.de poenis iud.qui mal.iudica. Est & interesse in l. cum poena ff.de receptis arbitr.Item si iudex petente parte in definitiua non iniungat victo restitutionem sumptuum factorum in iudicio,ex suo omne damnum eiusmodi sarcire tenetur victori,tenet hoc Harmenopol.lib.1.Epitom. Titul. 4. de sumptibus quos quis iustè dependit.*

Et in summa si quis in iudicio dolo alterius decipiatur

piatur conueniri potest deceptor & condemnari, quanti alterius interfuit, id non esse factum l. arbitrio ff. de dolo malo.

Est & illud pœnale interesse, quando in litem iuratur vltra rei veritatem, vt cùm à iudice fit doli æstimatio non ex eo quod intersit, sed ex eo quod in litem iuratur l. non ab ff. de iudicijs l. inter hæc verba ff. de verborum signification. l. 1. ff. de in litem iurand. Similiter in eum qui vi aliquem exemit in factum iudicium datur, quo non id continetur quod in veritate est, sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuertitur l. penult ff. ne quis eum, &c. Ita actio de vi quadruplatur in id quod interest, l. si cum exceptione §. labeo, ff. quod metus causa Harmenopol. lib. 1. Epit. tit. 3. de bonorum possessione, sed iam ad textus declarationem veniamus.

EXPOSITIO TITVLI PRImi ff. libr. 22.

De vsuris) cùm omnis ratio docendi, teste Cicerone in officijs, ordiri debeat à definitione, nos quoque hunc titulum de vsuris quem enucleandum assumpsimus ab illo Tulliano præcepto auspicabimur. Est igitur vsura asserente Hostien. in summa de vsuris, lucrum quod in mutui datione et alijs contractibus supra sortem exigitur, quæ descriptio vsuræ rectè intellecta sufficiat, vtpote grauis auctoris, videndũ tamen interim quid cum alijs habeat cõmune, quippe fœnus plebeiũ & excessiuũ

etiam

etiam supra sortem redditur, & tamen multis parasangis distat ab vsura: Item pœna & id quod interest etiam supra sortem redduntur, & tamen in his distinctione opus est, vnde videtur quod posset in contrarium dici rudi Minerua traditam esse vsuræ definitionem ab Hostien. neque ad vnguem facta computatione sibi constare, & per consequentiam non erit iusta definitio, sed potius communis rei descriptio, qualis apud Ouidium somni.

Stulte quid est somnus ? gelidæ nisi mortis imago.

In quo versu non est iusta definitio vt Physici & medici norunt, sed descriptio tantùm somni formalis ab externo gestu hominis dormiẽtis petita: quales rerum descriptiones apud auctores plurimæ inueniuntur: verumenimuero pro Apologia siue defensione huius vsurariæ definitionis dicendũ, quod etsi habeat commune cum alijs quibusdam genus, non tamen ob id eadem cum alijs censenda est, quippe si repræsentet in se definitio specificam differentiam qua ab alijs separetur reprehensione carebit, non tamen hic inquirimus specificam differentiam more medicorum apud quos illa soli Deo & naturæ cognita est, ait Iacobus Syluius in commentario Galeni de differentijs febrium: sed pro hac specifica differentia accipimus quædam externa signa incurrentia in oculos, aliaq́ indicia vt propria quædam istius rei de qua controuertitur, quibus eam à cæteris distinguimus: Iam ad propositum, asserimus vsuram à fœnore interuallis disiungi, quippe fœnus excedit legitimum modum, Item ab eo quod

interest recedit diuersitate notabili, quippe hoc nullis terminis circunscriptum inuenitur, vsura verò modum à legibus sacerrimis propositum apertissimè monstrat, Habebit igitur vsura ab alijs differentiam propriam quod ad obtinendam huius definitionis bonitatem sufficiebat: Interim optime lector inprimis in definitione vsuræ intelligenda considerandum censeo, quod ea plerunque descẽdat ex contractibus vel quasi contractibus, quibus finitimum est interesse, non quasi cohærens cum illis velut annexum inseparabile, sed velut accidens frequentissimum, neq; enim ita angustè accipimus vsuras vt nonnulli imperitè eas in vniuersum damnantes, apud quos vsura est pecunia quæ datur mutuò danti supra sortem, quæ definitio quantum ad vsuras de quibus Iureconsulti loquuntur minimè completa est, estq; angustior quàm definitum contra regulas Dialecticorum de bonitate definitionum traditas, siquidem vt diximus Iureconsulti referunt vsuras principaliter ad contractus vel quasi contractus, vt ad legata, fideicommissa, venditiones, locationes, ad res iudicatas, &c. sunt & variæ species vsurarum, qualis est nautica vsura, Chirographaria, leuiores, grandiores, triens, centesima, pœnales, lucratiuæ, compensatoriæ, & similes complures. Quidam etiam hallucinantes, quorum honori parco, intelligunt vsuras vt quæ dum supra sortem detur, id fiat ratione mutuationis tantùm, non ratione & contemplatione lucri cessantis, aut damni emergentis, quoniam istæ vsuræ intellectus ad vnã

solummodo simplicem mutuationis causam redacta est, cùm reliquas vsurarum species quod oportebat, modosque quibus alter alterius pecunia cum illius dispendio & incommodo vtitur, minimè attingat. sed nunc de vsuræ ipsius vocabulo quædam adijciamus. Vsura simpliciter apud Philosophos ponitur pro vsu & commodo alicuius rei, vt vsura lucis, temporis, &c. & hoc significatu Cicero creberrimè accipit vsuræ vocabulum, Græci auctores proprius accedunt ad significationem vsuræ, quod ad nostrum tractatum præsentem attinet apud hos enim vsura vocatur τόκος gebürt von wegen des gewechs *à τίκτω quod est pario vt fœnus à fœtu Latini dixerunt: Interim tamen inter hæc duo differentia est, fœnus quidem originali significatione propriè naturalis terræ fructus est, vnde ad vsuras translatum vocabulum remansit, sed vsura primum illud lucrum ex pecunia credita, propter obligationem, adde, quod alij non posuerunt, qui falsam opinionem Aristotelis de sterilitate pecuniæ secuti sunt: fœnus si statuto die non reddatur duplum aut quadruplum, vt Grammatici volunt, quod & ipsi subtiliter defendere nituntur, sed cùm quælibet facultas habeat aliquid proprij & seperatum ab alijs, nos secundum subiectam materiam, quod semper est faciendum accipimus fœnus pro fœtu & prouentu pecuniæ, vnde nauticum fœnus, pro nautica vsura legitur infra de nautico fœnore. vulgò accipitur fœnus pro excessu veræ vsuræ, hinc fœneratores intestabiles & impro-*

improbi vocantur, sed Iureconsulti etiam fœnus intelligunt quod legitimum esse solet, audi quid sit fœnus ex Cicerone, nec si tuam ob causam cuiquam commodes beneficium illud habendum est, sed fœneratio: Seneca, Illud non est beneficium circumspere non vbi optimè ponas, sed vbi quæstuosissimè habeas, vnde facilimè tollas, & hoc est vulgare fœnus.

De fructibus & causis) In contractibus bonæ fidei veniunt fructus, nam cùm aliquid reddendum est id debet reddi cum sua causa, aliàs enim reddi non intelligitur, cum verbo redditionis & restitutionis omnis causa & interesse Actoris contineatur l. cum propter ff. de verborum significatione l. videamus generatim §. in fauiana, infra eod. Cæterũ fructus in iure tripliciter accipitur (nã fctus autẽ est nomen à fruendo) primò strictè & pro originali significatu pro terræ prouentibus, vt arborum, plantarum, vinearum, segetum, &c. secundò largè pro omni commodo & vtilitate ex quacunque re proueniente, vt pensiones vrbanorum prædiorum, quæ propter inhabitationem penduntur: tertiò fictè siue quadam iuris fictione vt in titul. C. de fructibus litium & impensis. Illud hoc loco meminerimus rei fructum esse, precij vsuram, l. item veniunt §. petitam ff. de petione hæreditatis, vt ita quandam distinctionem habeas inter vsuram & fructum, quæ duo hîc per seriem coniunctim ponuntur.

Causa sæpè accipitur pro eo quod iudicio & qualibet disceptatione litigiosa continetur, vnde dictum, habet bonam causam sed nemo defendit eũ. Lucan. lib. 1. belli ciuilis.

Victrix causa Dijs placuit, sed victa Catoni.

Idem libro septimo.

Causa iubet superos melior sperare secundos.

Ouidius.

Et causaq; valet causamq; tuentibus armis. Item:

Frangit & extollit vires in milite causa,

Quæ nisi iusta subest excutit arma pudor.

Causæ autem vocabulum in nostro themate paulo secius & largius accipe, & referas id ad causæ restitutionem, est autem restituere causam, id reddere quod actor habiturus fuisset si ab initio rē petitam accepisset sine mora, estq; largum vocabulum in iure, & vestitum omnib. bonis rei quæ petitur, quod adeò procedit, vt si quis dicat se velle restituere, debeat etiam fructus restituere, licet hoc nõ sit specialiter additũ l. in condemnatione §. j. ff. de regulis iuris: tradit idem Harmenop. d. tit. & generaliter causæ appellatione cõprehenditur, quod ex re venit vt in eadem causa sit actor atq; si eo tempore quo iudiciũ accipiebatur, restituta res esset l. præterea ff. de rei vindicatione.

Et omnibus accessionibus) accessiones sunt quæ ipsam rem comitantur, siue extrinsecus accedant vt in alluuione contingit siue ex ipsa re oriãtur, vt vsura, fructus, ancillæ partus, & quæ causæ appellatione continentur: vnde habent quandã prout ne

negoti-

gociũ exigit ipsius rei & corporis de quo quæritur præstationem. Quid autem sint accessiones in vniuersum definiri non potest, quia quatenus cuiusq; intersit in facto consistit non in iure l. quatenus ff. de regulis iuris l. mora inf. eod. hinc Scæuola dixit, quod accessiones sitæ sint in sola æquitate l. de accessionib. ff. de diuersis & temporalib. præscriptionibus. Huc pertinet, accessorum sequitur naturam sui principalis accessorium de regulis iuris in 6. & ibi Dynus post alios. deniq; quæ sequuntur rem ipsam, vocantur accessiones iuxta l. cum principalis causa de regu. iur. antiq. Cicero in epist. accessiones facere sui studij pro augmenta suæ eruditionis acquirere: Hæ tamen accessiones aliquando constituunt rem ipsam & corpus aliquod, locoq; principalis intelliguntur, vt accidit in hæreditatis fructibus qui ipsi hæreditati incorporantur, aliquãdo accessorium tantùm repræsentant vt in vsuris sortis ipsius sequacibus, comitibus, complicibusq;.

Et mora) mora generaliter accipitur pro tarditate & procrastinatione, vt esse in mora vsitata phrasi dicitur. Ouidius:

Cùm mala per longas inualuêre moras.

Lucan. Tolle moras semper nocuit differre paratis.

Itẽ: Nectit mille moras intentus in arte nocendi,

Præcipitatq; Satan cùm libet inde moras,

vt aliquando cecini. Et de Iulio Cæsare dicitur:

Æger quippe moræ flagransq; cupidine regni.

At in iure mora est iniusta dilatio eius quod fieri debet, & arguitur per hæc verba, per debitorem

ſtetit quo minus faceret daretq́,Item per creditorem ſtetit quo minus acciperet l. ſterilis §. cùm per venditorem ff. de actionib. empti. Cæterùm in contractibus bonæ fidei veniunt vſuræ ex mora l. minorum C. ex quibus cauſis reſtitutio in integrum, &c. quod tamen ita verum eſt, ſi nequeat allegare reus conuentus, qua ex cauſa tardius debitum intulerit l. fi. in fi. ff. de adminiſtration. nec enim omne quod differtur moræ annumerandum eſt l. ſciendũ infra eod. Et quidem ex mora naſcitur intereſſe, ex qua veritate dictũ eſt, quod cùm fides placidis non ſeruatur in id quod intereſt agi poteſt, l. cum mota C. de tranſactionibus. adde l. vnicam C. vbi conueniatur qui certo loco dare, &c. His finitimum et conſequẽs eſt (vt melius hic tractatus cognoſcatur) quædam vſitata de eo quod intereſt aſpergere, nam mora eſt cauſa & velut mater eius quod intereſt. Sed antequam deſcribamus quid ſit Intereſſe, duo argumenta prius diluenda duxi, quæ contra hanc traditionem obijci poſſe videntur, velut enim ingredi volentem ianuam domus alicuius remouere prius oportet obſtacula, ita non diſsimiliter (quod & antea quodammodo præſtitimus) & nunc quædam prima fronte pugnantia refellenda duximus.

Primum ſit tale.

Nemo debet auxilium petere & implorare lucrifaciendi gratia ex alterius pœna vel damno l. ſciendum eſt ff. ex quibus cauſis maiores, in intereſſe hoc contingit, Ergo eſt iniuſtum neque poſci debet.

Concilia-

Conciliatio.

Maior vera est in casu tamen proprio ex d. l. sciendum, quæ loquitur de causis propter quas maiores in integrum restituuntur, & vbi quis ratione & respectu suæ absentiæ desiderat lucrum captare, idque cum alterius damno & detrimento, quod neutiquam fuit ipsi indulgendum, nam omnibus modis prætor prospicit ne alterius causa ex alieno facto fiat deterior, l. 1. in princip. ff. de aliena: iud. mu. caus. sed minor est falsa, nec vllo modo maiori rectè attexitur aut cum ea cohæret, vnde quatuor termini in argumento constituuntur, quod iuxta decreta Dialecticorum parit falsitatem. Item dato vno conuenienti vt hîc minor est inconueniens, sequũtur plurimi errores, licet enim videatur quod p id quod interest alter damno affligatur, non tamen hoc verum est, & soluitur per videtur & non videtur: patitur hoc ille ex suo culpabili facto, quare merito hoc patitur, estque Regula Iuris, quod quis damnum ex sua culpa sentit, non videtur sentire.

Secundum offendens.

Frustra hæc traduntur de eo quod cuiusque interfit, cùm interesse idem sit quod vsura ex sequenti ratione, vsura est quæ accipit aliquid vltra sortem, vnde vsura vocatur creditæ pecuniæ fructus ex vsu propter præcedentem obligationem: Interesse etiam accipit aliquid supra sortem, Ergo interesse est vsura, & per consequẽs superfluè distinguimus hæc, cùm per vsurã-ista expediri poßint, quod

enim potest per pauca finiri in eo non est opus pluribus iuxta Aristotelem & communem sensum stylumq́, & est in l. si Dominus ff. de iniurijs.

Solutio. *Vtilis est hæc obiectio, posset enim aliquos perplexos & dubios facere, quid nam sit differentiæ inter vsuras & interesse, cùm pro eodem vsurpari videantur: repetendum itaque hîc vsuram esse certam & quibusdam modis astrictam, Interesse verò nullis terminis circumscriptum: nam hoc tantũ est, quantum probari possit libera relicta Iudici eius taxatione. Quantum verò ad præsentem obiectionem ita respondendum, non est sufficens definitio si modo sit nominanda, definitio eius quod interest, in minore posita: nec enim quæ ex parte vni tertio conueniunt inter se conueniunt, oportebat quippe ea ex omni parte conuenire iuxta Euclidis geometræ regulam, in aliquo conuenit vsura & interesse quo videlicet ad pluris acceptionem: Interesse accipit supra sortem vel propter lucrum cessans, vel propter damnum emergens l. si commissam ff. rem ratam haberi, quod non idem semper contingit in vsura quæ modum certum à legib. accepit, quem sine offensione aliquis transendere non potest.*

Illud meminerimus nunc magis nouissimo Iure in vsu retineri vocabulum, Interesse, quia nomẽ vsurarum in odium venit propter abusum quod olfacere sagax potest ex l. socium §. respondit ff. pro socio, vbi dicitur si moram adhibuerit socius non tanquam vsuras, sed quod socij interfuit eum moram

ram non adhibuisse, præstabit: ex quibus colligunt D D. satis tamen obscurè id tradentes, hanc regulam: plerunque quod interest peti permittitur, vel tanquam vsura, vel tanquā id quod interest, quod si tanquam vsura, quamuis plus intersit quàm vsurarum modo exigi poßit, tamen vsque ad modum illum legitimum vsuræ duntaxat exigetur, si verò quasi quod interest, quantumcunque interesse probabitur, id quod etiam perspicuè Papinianus docet in l. si fratres §. idem respondit ff. pro socio: In hoc igitur beneficium electionis proderit alicui, sed iam ad descriptionem eius quod interest accedamus.

Interesse generatim sumptum est accidens omnium contractuum, quod non ingreditur contractum ipsum ab initio, neque à lege, neq; ex partium conuentione definitum deprehenditur, ideoque probandum, & quantumcunque erit in euentu cō siderandum, Ex Regula tamen l. vni. C. de sententijs quæ pro eo quod, &c. Hæc descriptio eius quod interest in sui generis nomine stat & appellatur id quod interest, aliàs dicimus interesse est quod alicui aut ex dāno accepto aut lucro impedito abest, nam duplex eius consideratio habetur ex l. si commissa ff. Rem ratam haberi. Estq; æquißima eius petitio, vnde Baldus dixit: Interesse si non sit Sophisticum debetur iure naturæ vt non soluens debito tempore tenetur ad interesse l. iubemus §. hoc videlicet C. de erogatione annonæ militaris. Ac quemadmodum interesse iustè petitur,

ita etiam vsuræ, quod exemplis cùm legibus subiũctis astruitur (quàm viam decendi bono consilio iniui ex admonitione Platonis dicentis, facilis est via docendi per exempla, quibus maximè opus esse iudicaui in hac vsurarum materia satis difficili) & quidem principio condemnatus aliquis ad reddendam certam summam pecuniæ, si eam non reddiderit intra inducias siue spacium quatuor mensium concessum in fauorem damnatorum, tenebitur vtique post moram & lapsum huius termini ad istius pecuniæ præstandas vsuras l. 1. C. de vsuris rei iudicatæ. Item promisisti alicui vt solueres illi pensionem siue canonem domus suæ certo tempore, non facis, debes igitur illi vsuras soluere propter moram si ea non sit excusabilis, & hoc non est iniquum, bona enim fides exigit vt id quod conuenit fiat l. quæro & l. cùm venderem ff. locati, quibus addatur & hoc, ratione eius quod interest humanum est compensationem damni petere, ac non est dubium de damno post moram quod accepit dans mutuo ob id quod constituto termino non est redditum quantum debebatur, damni autem nomine in hac disputatione lucrum quoque cessans comprehendi arbitramur vt d. l. si commissa & l. & fine ff. ex quibus causis maiores. Non tamen lucrum semper & perpetuè spectandum à Christiano homine, quia debet etiam esse inter nos officiosa mutuatio sine lucri captione, nam altera damnosa simpliciter potest petere vsuras siue interesse, verbi causa, Diues aliquis

Exemplis probatur vsuras esse iustas.

si rogetur à tenuiore vt det sibi mutuo viginti daleros per tres aut duos menses, non debet diues hîc vsuras petere in tam curto temporis spacio, & tam exigua summa, In quo casu considerandum dictum Ecclesiastici cap. 20. Stultus hodie mutuo dat cras reposcit, sed si per longum tempus tale mutuum petat, variabitur negocium mutuationis, ac ad hanc officiosam & quasi gratuitam mutuationem refero dictum CHRISTI, date mutuum nihil inde sperantes, vbi non loquitur de ciuili mutuatione, vt cùm dicimus non reddens debito tempore tenetur ad vsuras siue interesse propter moram, quæ luenda est, quia mora cuique sua est nociua vt habet regula iuris. In his & similibus casibus vtilitas quæ interesse est nec differt l. cùm prætor ff. de verborum significatio. consideratur & perpenditur, adde hic exemplum eius quod interest in l. si Calendis ff. de re iudicata. Eiusdem farinæ & hæc sunt: si quis tibi dederit quinquaginta solidos siue aureos vngaricos (ita enim rectè solidi exponuntur) mutuo, quos illi soluere promisisti ad nundinas Francoforti ante festum Sancti Michaëlis, nec solueris, poterit alter petere suum interesse, quod si vsuras id voces nihil dimicabo, res est penè eadem, diuersa verba, patet idem ex superioribus & astruitur per l. 2. ff. de eo. quod certo loco.

At dices fuit Diues cui fidē solutiōis nō p̄stiti, et is non potuit pati dānū ex mora quā traxi, habuit

alia

alia bona ex quibus potuit mercaturam exercere, & lucrum fecisse. Ergo mea mora illi nihil obfuit, damnum non peperit, consultum fuit eius indemnitati, cùm & alia bona abundanter illi suppeterent, quibus negociationem exercere potuit: Hæc quidem scio à multis esse adducta verisimiliter, cũ tergiuersarentur in solutione eius quod interest: sed dicendum ad hanc obiectionem quæ satis est popularis & pausibilis, non tamen genuina & germana: nullo pacto considerari oportere, quid ille Diues habeat, sed quid verisimiliter habere potuisset, mora à te non facta: alienum est hoc dicere, proprium debitoris erat constituto ipsi termino & articulo soluere & dimittere creditorem. Adiunge his quod propter moram debitoris creditor mittatur sæpe in possessionem Harmenop. lib. 1. Epito. titul. 5. de mutuo addi l. 1. §. ad hæc C. de annali exceptio: Ex his iam adductis exemplis breuiter & perspicuè arbitramur intelligi posse quid sit vsura & interesse, cuius (vt diuisionem aptam & vtilem succinctè quoquo attingamus) duplex est positio, dispesciturq́ (vt geometrico in hac re apto verbo vti liceat) in Intrinsecum & Extrinsecum: Intrinsecum vocamus quod circa rem contingit, extrinsecum quod non item ex ipsa re descendit, sed personæ accidens est, cùm videlicet persona moram facit in fauendo vel dando aliquid, aut enim id quod nobis abest, quodq́ interesse vocamus, circa rem velut proximè ex ea re enatum, vel extra rem hoc est longè ab ea separatum (non verò intra) consistit,

neque

neque enim precium rei siue æstimatio neque pœna quorum hoc conuentum, illud commune Doctorib. dici videtur, eius quod interest appellatione venit, secundum aliquos: quale verò sit interesse pœnale, superius posuimus. Intrinsecum interesse referimus ad rem vel corpus aliquod, & reor hoc rectissimo iure deberi, quando scilicet res tradenda, est facta deterior vt videri potest in vendito vino, & per venditorem corrupto, quam sententiam confirmamus ex l. si sterilis §. cùm per venditorem ff. de actionibus empti. Extrinsecum quoque interesse rectè & ordine debetur cùm quis moram trahit, & ex ea alteri damnum conciliat, dicitur autem extrinsecum quia extra rem intelligitur, estq́ personæ connexum eiusq́ culpam sequitur.

L. 1. Papin. lib. 2. Quæstion.

(Cum iudicio bonæ fidei) Antequam exordiar, Deo aspirante, declaratione afferre huic titulo admonitum te velim optime & candide lector, me hoc facturum more Scholarum vt & inseruiam iunioribus expositione quorundam vocabulorum & textus ipsius: Interim tamen necessaria vbi dabitur oportunitas ex vsu forensi deprompta adiungam, non ingrata futura vt arbitror etiam lauto lectori, sed iam verba textus adiungamus. Est igitur bonæ fidei iudicium, in quo de contractu bonæ fidei agitur & in quo alter alteri obligatur in id quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, toto titul. institut. de obligationibus ex consensu. Ac in his contractib. bonæ fidei quædam etiam non nuncupa-

nuncupata lingua initio & ingressu agentiū, propter æqualitatem tamen & probabilem rationem debentur, vnde hæc honestißima formula verborum apud veteres vsurpata est, Inter bonos bene agier, hoc est, præstet homo honestus ea in contractibus quæ communis ratio iudicat æqualia esse Cicero in Topicis & ibi annotata Boëtij.

Disputatur) disputatio hæc vertitur in determinanda vsurarum quantitate vel magnitudine, secundum tamen septem illas circumstantias seu limitationes supra à nobis positas examinatio præstandæ vel debitæ vsuræ instituitur, si modo rectè procedatur. In his tamen excutiendis optime lector, ne prius velim censoriam virgam posueris, quàm omnia perlegeris, vsura currit citius quàm Heraclitus, at hæc præcipitatio in cognoscendo vsuræ vsu & eius expositione tradita nequaquam adhiberi debet, ne in aliquibus fiat præiudicium ijs rebus quæ censuram iustam & non duram mereri videntur, qua in re tamen nulli suæ eruditionis meritum derogare videri velim, Inuidus annoso qui famam derogat æuo, Inuidus est etiam qui bene scripta premit, neue alijs quod habent & quod de iure merētur, attribuit, tutius iudice qsq; suo est

Arbitrio Iudicis) arbitrium quædam interlocutio iudicis est sententiam definitiuā antecedēs, Theophilus μεσίτιαν appellat, ideo autem officium iudicis necessarium est quoad vsurarum præstationem, quia vsuræ citra stipulationis vinculum non debentur, vnde dictum est quod in iudicijs bonæ fidei

dei officiũ iudicis tantũ valeat, quantũ in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio l. quia ff. de negocijs gestis l. Lucius Titius ff. depositi. Est & illud decantatissimũ, vsuras in bonæ fidei iudicijs nõ tam ex obligatione quàm ex officio iudicis proficisci l. quæro ff. locati, Rectè itaque affirmant DD. in contractibus bonæ fidei veniunt fructus iure actionis, vsuræ verò officio iudicis, quod licet quidam sine lege tradere videntur vt Accursius etiam multa sine lege tradit contra decretum Iustiniani, verum tamen est, l. cum quidam, versicu. ad modum iustæ &c. infr. hoc titu.

Ex more regionis) mos & consuetudo regionis variat & diuersificat vsurarum præstationem, nã quandoq; quincunces dantur, aut trientes, aut si q̃ aliæ in prouincia frequentantur l. tutor qui repertorũ §. ex cæteris ff. de administratio. tuto. Ac Vlpia. dixit in bonæ fidei iudicijs cõstitutum esse eas vsuras venire, quæ in regione frequentantur l. & in contraria infra eo.

Nota, vsuræ non semper computantur legaliter, sed vulgariter, scilicet secundum morem regionis, non secus ac miliaria passim in regionibus quæ variant, nec eadem sunt, vnde si minores præstentur in regione quàm legibus constitutum est, hæ debent venire, non tamen econtrà, si maiores sint vsuales quàm leges permittunt in delitionem cadunt, quod equidem colligitur in his verbis, tantummodo ne legem offendant, quæ modum præscripsit vsuris, quem excedere impunè nõ licet,

bis finitimum eſt dicere conſuetudinem quoad vſuras lege non præiudicari, quod tamen ſolũmodo in vſuris vt pote odioſis obſeruatur, in cæteris enim mos regionis ſæpenumero legibus Romanis præiudicat, vt qui vel eas interpretetur, vel non admittat, quemadmodum contingit in ſtatutis municipalibus denique mos regionis in qualibet Repub. habetur pro iure, notum eſt enim prouerbium νόμος καὶ χῶρα lands weiß/lands recht/*Item,*

Si fueris Romæ Romano viuito more,
Si fueris alibi viuito ſicut ibi.

Laudamus veteres ſed noſtris vtimur annis, Stet igitur concluſio velut cuiuſdam axiomatis loco: ea quæ ſunt conſuetudinis & moris in iudicijs bonæ fidei venire debere l. quod ſi nolit §. quia ff. de Ædilitio edicto l. præſides ff. de ferijs l. ſemper in ſtipulationibus ff. de regulis iuris.

Vbi contractum eſt) cùm conuentio legem det contractui merito agentes poſſunt conuenire eos non quidem in loco vbi contractus celebratus eſt, ſed in quem numeratio precij aut pecuniæ relata eſt, quippe quod hîc dicitur vbi contractum eſt, nõ debemus intelligere vbi negocium geſtum eſt, & commercium habitum, ſed vbi de ſoluenda pecunia conſtitutũ deprehenditur, teſte Caio in l. 3. ff. de rebus vel bonis Iud. auctorita. Et quidem hæc phraſis loquendi attendenda venit, quando hoc modo contractus refertur ad ſuum finem, hoc eſt, vt fiat vel detur quippiam, quod non inſubtiliter intelligi poteſt collatione facta ab eo loco vbi conuentum

tum est in eum vbi fieri debet aliquid argum. l. ius plurimis modis §. alia ff. de iustitia & iure, finaliter, vnusquisque contaxisse in eo loco intelligitur, in quo vt solueret se obligauit ait Iulianus in l. contraxisse ff. de actionibus & obligationibus.

Vt legem non offendat) alij codices habent legi, sed melius est legem. Cæterùm Iustinianus legem generalem sanxit de modo vsurarum l. eos qui §. super. C. hoc titul. quod factum est ab eo cùm vsuræ nimium excrescerent, cui malo obuiando vt sapiens Architectus templi iustitiæ legum, immensum & intolerabilem vsurarum modum constanter aboleuit, videlicet commoda commodorum, reditus redituum, vsuras vsurarum l. sancimius C. de vsuris rei iudicatæ. Ita amputatio rei malæ & perniciosæ laudabiliter ab eo instituta est. Alius igitur est hodie modus vsurarum alius olim, simplex centesima fuit olim vsuræ legitimæ finis, fructuum vsura fuit quadruplex centesima, vsura nautica certum modum non habuit, quin etiam supra duplũ exigi potuit, & in pactionem vel stipulationem deduci. Sed certè in rebus potest & debet esse certus modus & finis, quos vltra citraq; nequit consistere rectum: Est seruãda æqualitas & mediocritas in omnibus quæ aurea ab Horatio nominatur propter eius commoditatem ingentem, monet idem versus Phocylidis quem Aristoteles citat, πάντα μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι omnia sunt meliora in his mediocribus, ipse huic vrbi medius ciuis inesse volo, Item fœlix cui dederit mediocria

 commoda

cōmoda vitæ, Noticiáq; sui filius ipse Dei, Itē medio tutissimus ibis, ac arbor boni & mali scientiæ stetit in medio Paradysi, hanc mediocritatem iureconsulti semper quæsiuerunt in vsurarum modo, debet enim esse par ratio acceptorū & datorū l. labeo §. contractum ff. de verborum significa. id maximè in vsuris, debet obseruari, ὡς καλὸν πᾶν τὸ μέτριον οὐδὲ ὑπεργῆμον At probdolor quod accidit olim teste Plutarcho lib. 5. Sympo. ludis pythicis, in quibus antiquā illā seueritatē & modestiam siue μούσικον hoc est mediocritatem (vt crebrò accipitur hoc vocabulum & ipse ita vsus est) non obseruauerunt, Ita Dardanarijs siue vsurarum negociatorib. huius seculi vsu venit, ꝑ improbitatē modū vsurarum cōcessarū excedētibus, quib. obuiandū fuerat.

§. si socius) etiam mora non interueniente) vide l. equitio infra eod. est autem notabile quod hîc dicitur, etiamsi moram non committat, socius tamē si communem pecuniam in rem propriam cōuertit, & ita lucrifecit, remq; domesticam auctiorem reddidit, tenetur ob hoc socio ad vsuræ præstationem, quod non est iniquum cùm socius sine socij consensu rem communem inuadere non debeat. Atqui quod Papinianus hîc decidit huiusmodi peruersos socios vsuras præstare, etiam mora non interueniente, eo modo intelligendum est, quamuis postea nulla mora intercedat & ne quidem deinceps appellati sint vnquam, vt eam pecuniam redderent, quàm inuaserant, quippe re ipsa satis in ea pecunia restituenda moram facere intelliguntur, qui eam scientes

entes occuparunt, quàm respectu propriæ vtilitatis ne attingere quidem debuerant, vt de fure & eo qui possessionem rei immobilis inuasit, definitum est l. vlt. ff. de condictio. furti l. penul. ff. vnde vi. Sic sæpe fit quod homines bonum aliquod vt pecuniam sibi cum alijs communem soli intercipere attentent, exemplum est in l. peculatus ff. ad l. Iuliam peculatus, idq; contra normam Iustitiæ, quæ vnicuique tribuit quod suum est titu. 1. Institu. de instit. & iur. huc pertinet quod qui pecuniam publicam in vsus aliquos proprios retinuerit, nec erogauerit, teneatur lege Iulia peculatus vt scripsit labeo lib. 38. posteriorum, l. sacrilegi §. senatus d. titul. vnde publicæ pecuniæ fœnerationem M. Cicero actione quinta in Verrem certissimum peculatum appellat.

Notanda est autem hoc loco emphasis verbi inuadere quod non temerè nec ociose in hac re Papinianus ille excelsi ingenij vt nominauit eum non semel Iustinianus, vsurpauit, eo vsus est Virgilius, de hostium inuasione & Troiæ excidio loquens lib. 2. Æneid.

Inuadunt vrbem somno vinoq; sepultam:

Expende igitur vim vocis huius, quæ malignitatem non leuem importat & accommoda ad rem præsentem.

Nec tamē Iudex) officium Iudicis seruit actioni, vbi igitur non est actio vel quæ fuit sententia finita, iam amplius officio iudicis vsuræ seruari non possunt. At quid si Iudex sui officij oblitus

sententiã tulerit, vt quoad pecunia, in quam quis condemnatus est, soluatur; vsuræ pendantur : quo casu scio quæsitũ iure ne an iniustè sit à Iudice prolatum, & an immorandum sit eius sententiæ: dicẽdum itaque secundũ ea quæ proponuntur, si non erit prouocatum stari sententiæ oportere non considerato an iustè vel iniustè, iniquè vel inutiliter lata sit, quod vtrunq; in hoc casu si eueniat reipsa, cõtingit, vide enim quod sentẽtiauit Iudex habetur pro veritate l. res iudicata ff. de regulis iuris l. ingenuum ff. de statu hominum.

Cautiones) cautio introducta est ad euitandũ damnum l. hæreditas ff. ad Trebellianum hanc explicat Cicero in Topicis.

Futuri temporis pendantur vsuræ) hæ vsuræ vocantur rei iudicatæ, si intra tempus legitimum, & ordinatum Iudicatis non soluatur debitum.

Cum in potestate actoris) Ætiologia est & cur Iudex non debeat se immiscere rei ad se non spectãti, in illũ sensum: Actor potest exigere Iudicatũ, nihil igitur ad Iudicem futuri temporis tractatus, nam Iudex semel pronunciando dictaq; sententia, functus est officio suo l. 2. ff. de re iudicata, quemadmodum nec spectant ad Iudicem quæ ante iudicium contigerũt: Ergo nec ea quæ post illud contigẽt l. Ædiles etiã hoc §. item ff. de Ædilitio edicto.

Collatio contraria.

Executio iudicij spectat ad iudicẽ, vnde practicorũ forensiũ locutio et tritũ dictũ literas executoriales petere, Ergo etiam rectè iubebit interponi cautiones futuri temporis, &c.

Com-

Conciliatio.

Si non poſſit exigere iudicatum actor, tunc vtique ſpectabit ad iudicem iuuare actorem victoria potitum, quid enim proderit victori ſententia pro eo lata ſi nõ habuerit neruos annexos executionis? Eritq́ quaſi campana ſine clypulo & ſal fatuum, erunt & verba puellarum folijs leuiora caducis. Cæterùm maxima ratio, cur iudex non debeat ſuam auctoritatem interponere de cautionibus vſurarum pendendarum, ſi ſeruus fuerit ſententiæ paritum, quippe lex in hoc caſu victori litis proſpexit. Sanxit enim Iuſtinianus vt ſi reus condemnatus intra quadrimeſtres inducias, quæ ipſi à tempore rei iudicatæ indulgentur, non dimiſerit per ſolutionem victorem aduerſarium, præſtet ſortis vſuras centeſimas grauiſſimas quidem etiam tunc cùm antea nullæ debitæ fuiſſent l. final. C. de vſuris rei iudicatæ, præterea ſi verum ſit, quod omiſſum eſt lege non debere omitti religione iudicantium l. ſcio equidem ff. de teſtibus, ſanè à contrario ſenſu per argumentationem inde deſupmtã, quod lege prouiſum eſt à iudice non debet vlterius prouideri: ſunt tamen caſus in quibus cautiones futuri tẽporis ad iudicem ſpectant, vt in iudicio aquæ pluuiæ arcendæ damni infecti. l. Ateius §. in hoc iudicio ff. de aqua & aqua pluui. l. egi ius ff. ſi ſeruitus vindicetur, vbi dicitur officio iudicis contineri, vt de futuro quoque opere caueri debeat, nõ enim tantum præſentiũ, ſed etiam futurorũ tignorũ immittendorũ ius mihi debetur, quia vero vſuræ futuræ

ræ futuræ non debentur nisi decurso tempore, de illis non est cauendum, vt hîc, ita videmus diuersitatem negociorum & casuum subinde inducere et gignere fallentias siue exceptiões generalitatis, quæ variatio si perpendatur Antinomiæ quæ hîc obtrudi possent & obtruduntur ab Accursio facilè languescent & expirabunt. His consequens est & affinis quæstio, an vsuræ peti possint quarum Iudex rationem non habuit, & videtur quod non, ex l. 2. ff. de re iudicata, vt & arbiter desinit esse arbiter vbi condemnauit vel absoluit aliquem. At obijcitur ex l. negociorum ff. de appellationibus l. vlti. ff. de re iudicata, peti posse vsuras, quarum rationem iudex non habuit: Species talis est, gestor condemnatus est, & appellauit bona fide, hoc est, non morandi causa, deinde pronunciatum est iniustè appellatum fuisse, veluti quia tardius paulo indicatum est, an vsuræ principalis pecuniæ medij temporis peti possunt? Lex ait vsuræ actionem dandam. Itaque vtili actione, peti videntur vsuræ quarum iudex rationem non habuit.

Antinomia.

Solutio.

Sed negandum hoc est, quia reus fuit condemnatus in sortem & vsuras in ea specie: & nisi appellasset actioni iudicati petitæ ab eo fuissent vsuræ eius temporis quod fuit post diem iudicati faciendi non etiam medij temporis, hoc est, inter sententiam & diem iudicato præstitutum, nam illud tempus induciarum immune est ab vsuris l. vlt. §. penult. C. de vsuris rei iudicatæ l. 3. § 1. infra hoc titul. maximè si mora cœpit à litis contestatione, ve-

verùm in ea specie reus appellauit & quidem bona fide, sed diu negocium protraxit, deinde iniustam fuisse appellationem pronunciatum est simpliciter, atqui iudex appellationis potuit eum condemnare in vsuras medij temporis l. tutor in princip. infra eod. verùm hoc prætermisit, & simpliciter pronunciauit iniustè appellatum, quæstio an nihilominus istæ vsuræ peti possint? Respondetur, & peti posse vtili actione iudicati, quia reus fuit condemnatus in vsuras priori sententia, quæ trahetur etiam ad vsuras postea insecuti temporis, vsque ad posteriorem sententiam, quasi nunc primum videatur condemnari à priori iudice, cum eius sententia iam confirmetur, ob id dicitur dari vtilis tantùm, verùm si prius non fuerit condemnatus in vsuras non arbitror esse rationem, qua quis debeat medij temporis interusurarium præstare, sed enim in his quæ solent fieri ea intelligimus passim & supplemus, nisi quod apertè obstet.

Paulus notat) hæc formula Vlpia. Papini. notat cùm inuenitur vt sæpe admodum in legibus confirmat superiora, illúque interpretationem non admodum dissimilem cuidam exceptioni vberiorem & reconditiorem maiorisque intellectus adiungit, estque index attentionis faciendæ, ac emphasim operatur penè vt in Psalmis sacræ scripturæ zela, Hebraicũ vocabulũ mirabilem & prorsus diuinam admonitionẽ insinuat, iubetque lectorem subsistere paululũ, & cogitare quid agatur, p̃senti loco, vt periti hebraicæ linguæ

annotarunt, Et docuit me Ebrard Sneppius olim celebris professor in Academia Ibenensi nunc fato functus, magno cum dispēdio studiosorum propter excellentem eruditionem sanctæ linguæ quæ in ipso præ cæteris emicabat. Sed omnia sunt hominum tenui pendentia filo, & subitò casu quæ valuêre ruunt. Et seges est vbi Troia fuit, &c.

In diem sententiæ) sensus est, si iudiciario ordine procedatur cum tutore vsq; ad sententiam præstabuntur vsuræ donec fiat restitutio tutelæ, est autem restituere tutelam discedere ab illo officio tuitionis pupillaris & reddere rationem administrationis & suæ villicationis, in qua si tutor accepit pecuniam pupilli, eamq; in rem suam conuertit, negociatus sit fortè ex ea, aut etiam rem suam familiarem & domesticam auxit, tenetur ad vsuras istius pecuniæ à se vsurpatæ & quidem centesimas quæ multis alijs grauiores reputantur l. 1. C. de vsuris pupillarib. l. & fine ff. de nego. gestis.

Eamq; obsignatam deposuerit) quæstionis hoc loco est, quo in loco rectè & ordine deponi debeat (quippe dignum tractatum hoc habet) dicendum itaque quod olim obsignationes fiebant in fanis siue æde sacra l 4. in princip. ff. de statu liberis l. 1. §. si pecunia cum §. sequenti ff. depositi l. fi. ff. de tabulis exhibendis, consueuit hoc etiam fieri apud bonum virum vt Iauolenus dixit d. l. fi. de tabulis, de hac re vide vlterius Ciceronem lib. 5. ad Atticum Epist. vlt. Herodia. lib. 1. vbi de pacis templo incēso loquens, ait, multorum Romanorū depositæ ibi pecuniæ perierunt.

Porrò

Porrò vsuræ cessabunt statim atque emptor pretium obtulerit & deposuerit, sola vero depositio nō sufficit, quod l.2. ostendit C. eod nisi si defuerit cui offerretur veluti venditore defuncto, vel successore defuncto vel incerto, hoc casu sola depositio vsuris leuabit emptorem, sola item oblatio non sufficit vt sistat vsuras, quod seruatur etiam in vsuris creditæ pecuniæ l.6. & 19. C. eod. Ergo nec sola depositio nec oblatio sufficit, verùm sola oblatio liberat à periculo si postea res pereat casu: & quidem liberat à periculo ipso, siue iudicium strictū sit siue bonæ fidei ex sententia Sabini l.155. ff. de verbo. obligationibus. Item oblatio sola soluit Antichresin, quod tamē ideo fit, quia multò grauior est antichresis quā vsura, cùm in Antichresi omnes fructus creditori cedant. At vsuræ certus modus est constitutus, hinc etiam facilius finitur, Item sola oblatio liberat à collatione tributorum l 1. C. de susceptoribus lib.10. quod & Accursius notauit ad l. 19. C. eod. item oblatio sola vsurarum minorum liberat à maioribus, vt si sint promissæ minores, & si ad diem non soluerentur, maiores, iam si ad diem minores offerantur nec deponantur, hoc satis est ne maiores currant l.9. C. eod. quia non est fauendum vbertati & incremento vsurarum: qua ratione etiā ob minores vsuras non solutas grauiores non infliguntur propter lucrum, hoc est, ex die contractus, sed propter moram tantùm, hoc est, ex die quo non sunt præstitæ minores l. cum quidam infra eo. cum tamē ob sortē non solutam grauiores infligantur eti

am propter lucrum l. lecta in fi. ff. de reb. creditis.

Expositi iam sunt effectus oblationis nudæ: aliàs oblatio nuda non liberat à sorte, non ab vsuris, non à pœna, neque pignus liberat l. 10. C. de pigno. actionibus: ita quod oblatio nõ efficit, depositio etiam non efficiat, at quæ oblatio sola efficit multo magis depositio præstat, & obsignatio.

Mutatio iuris.

Hodie in Germanicis climitatib. non deponitur pecunia in fanis vt olim, sed hoc fit apud Scabinos Curiæ vel Dicasterij, vnder die Scheffen das geldt legen/ *vt nos idiomate linguæ nostræ dicimus, alibi tamen aliæ consuetudines de hoc obseruantur, quas hoc loco enumerare nimis prolixum foret, quod admonuisse sat est.*

Hoc loco optime lector, priusquam ad sequentia transitum faciam, recordari te obiter velim sicut et ipse vides, in re præsenti me aliquot iuris mutationes tibi aperuisse, non enim ius Romanũ semper pro eodem in vsu hominum habetur: eamq́ declinationem ostendere censeo esse maximè vtile & frugiferum, quid enim nouissimo iure decretum sit ab ordinarijs magistratib. magis est necessarium cognoscere, quàm quid olim priscis retro temporibus valuerit, ne quasi ab Euandri seculo leges recudere & repetere ignorantes præsentia, non bene expositi alijs videamur: verumenimuero mirari posset quis hanc iuris mutationem & quasi transpositionem vnius in aliud, docendi itaque respectu sic argumentaberis contra mutationes iuris.

Instabile ius, instabilem iustitiam administrat & largitur, secundum veritatem & qualitatem causæ ad effectum, vt orta attestantur suis principijs, nec potest esse ius (quod debet rectum, firmũ, & certum quid in se habere non cereum nasum vt Itali dicunt,) crebram mutationem & incertitudinem admittens, Euripi more accedens & recedens, iam alia atq; alia forma ad instar Polypi variantis colorem ad saxorum superficiem. Erit igitur incerta iustitia, cùm mutabile sit & tam multum variabile ius ipsum, & effectus repræsentat suam causam: Huc pertinet, dissidet à cunctis qui secũ dissidet ipse, videtur ipsum ius secũ dissentire, cùm non eodem tenore suam frontẽ nobis obuertat.

Solutio.

Naturale ius immutabile est, sicut & Deus ipse, prima causa omniũ bonarum rerum & fons boni in natura est, sed ius ciuile non itẽ, natura enim deproperat nouas quotidie formas procudere, ac nihil est tã naturale q̃ eodẽ quodq; dissolui quo colligatũ est, ius ciuile posterius et superueniẽs soluit antecedens & aliud tẽpus alios mores postulat. Et inde petitur ratio omniũ mutationũ in iure ciuili. Nã ius quidẽ ciuile primũ introductũ est propter vtilitatẽ hominũ tam publicam q̃ priuatã, sed quamprimũ incipit tendere ad noxã vel læsionẽ in melius reformandũ est, c. statutũ de rescriptis in decretalib. Hinc dd. dicũt quãdo statutũ tractu tẽporis & varietate morũ et negociorũ incipit esse nociuũ, potest mutari, homines etiã nõ eodẽ modo semp regũtur, alia tẽpora

sunt fœliciora, alia calamitosiora, vt nostra sunt, Tam status est fallax tam nihil omnis homo, tam nihil in stabili conditione manet, fit mare de terra mox perit hoc, redit hæc, sic rerum mutant se sine fine vices.

Ex eo tempore vsuras non præstabit) sortis vsus quasi radix quædam est, vnde vsuræ velut rami ex traduce propagantur, quocirca simul atq; sortis vsus destitit & desijt vsuras quoque desinere & emori dubium non remanet: indubitati quippe iuris est, quod scribit Caius in l. 2. ff. de peculio legato, quæ accessionum locum obtinẽt, extinguuntur cùm principales res peremptæ sunt. Item accessorium sequitur naturam sui principalis c. accessorium de regulis iuris in 6. iam accidẽs non potest esse sine substantia, vt Dialectici tradunt, finge igitur sortem esse depositam quasi solutionis loco, iam omnem pensionem vsurarum cessare necesse erit, l. si per te C. eod. non secus ac si quis diceret, obstructo fonte & originali scaturigine, riuuli cessant currere. Item capite abscisso reliqua membra moriuntur, quæ ab eo vitam & essentiam suam accipiebant. Ex his ratiocinari est, cur obsignatione facta cessent currere vsuræ, quod dixisse oportuit.

L. 2.

Deduxio textus quam glossarij casum vocant, melius speciem facti dixeris, stipulatus eram à te fundũ quem post cessationẽ peto in iudicio siue fundi nomine Iudicium accipio, litem contestor, adiudicato mihi fundo omnis fructus perceptus post acceptum

ceptum iudicium et litem est mihi à te reddendus, quod maximè fit in actiõe stricti iudicij, qualis est ex stipulatu quæ vbertim explicantur in l. sequi §. in his: Simile paradigma est cùm scriptus hæres debet præstare legata, et moram facit in solutione, quamuis sæpius interpellatus sit, qua de causa legatarius abit ad iudicem, litem contestatur de non sibi solutis legatis ab hærede, quod fieri defunctus ordinauerat: Postea condemnatur hæres, qui tenetur à tempore litis cõtestatæ vsuras soluere nõ præstitorum congruo & debito tempore legatorũ toto titul. C. de vsuris legatorum. Cæterum quod hîc traditur, habetur in l. videamus generatim §. actionem, ibi quod si acceptum infra eod.

Vt quamuis in personam actum sit) sensum huius loci ita exaudiri oportet: in omnibus tam in personam, quàm in rem actionibus post litem contestatam omnis causa & fructus, omnis cùm re petita restituendus est, id cùm primò in actionibus in rem constitutum esset l. illud ff. de petitione hæreditatis l. præterea ff. de petitione hæreditatis l. præterea ff. de rei vindicatione, post etiam in actionibus in personam idem constitum est, l. videamus §. si actionem infra eod. l. cùm fundus in princip. ff. si certum petatur.

Causa præstetur) hoc est si homo vel ager petitus fuerit, post acceptum iudicium omnis causa restituitur, & omne quod habiturus fuisset actor si tempore litis contestandæ solutus fuisset d. l. cũ fundus, nec valet hoc loco obiectio, si quis dicat, aliud

aliud est actio personalis, aliud realis, in actione reali præstanda est omnis causa secùs in personali, nam hoc non procedit dicere propter superius allegatam rationem. Huc refer Caßij & Sabini sententiam dicentium: si acceptum est iudicium ex æquitate post acceptum iudicium fructus præstandi sunt, vt causa siue omnis vtilitas admisso iudicio restituatur, quod & Paulus putat rectè di cil. Ædiles etiam hoc §. item sciendum ff. de ædilitio edicto.

Practica forensis.

(Cuius opinionis) ex hoc loco tradendum vbi ad sententiam definitiuam ventum est, quod plurimum è Republica esse existimamus, vt circumspectus & prudens iudex sententiæ suæ rationem exprimat, vt is qui lite ceciderit, causa examina appellandum ne sibi sit an sententiæ acquiescendum absque hæsitatione constituat: Nec laudandum, si iudex dicat stat pro ratione voluntas, & habeo ius in pectore meo sicut semel audiui à quo assessore dici gloriosius sed alter fortè ebrius collega cōmodè, obuiabat illi, dicēs, Einē hondtßfot habt jr drin: *errant & illæ ciuitates quæ addunt ad sententiam definitiuam hanc clausulam loco rationis:* vnd die weil vns solchs gefelt/setzen vnnd sagen wir *(verbi gratia)* in sachen zwischen Hansen eines theils vnnd Clausen anders theils/ *quod satis pro imperio fit.*

An verò alibi rectè dicat, Doct. Ægidius de Sostanis: quod Conciliarij non teneantur confirmare consilium suum aliquibus rationibus cùm eorum

consilia

consilia non scribantur apud acta, sed sufficere: videtur mihi de iure sic faciendum, exactius perpendendum alijs iam relinquo: Philosophi non admittunt αὐτὸς ἔφα, multi multa dicunt quorum probatio esset futura operosissima.

Illud (protestor enim) negari non potest sententias definitiuas, vt & leges ipsas, plurimum à causa finali & ratione ipsa debere pendere. Hinc facta sunt Iuris problemata quod lex esset, restringatur, & amplietur interdum, secundum causam, interdum secundum rationem, l. 1. §. item sciendum, versicul. cuius rei ratio illa, & l. debitor, versiculo neque enim ratio ff. de separationibus, l. si postulauerit §. iubet lex ff. de adulterijs.

Quoniam quale quidque est) repetit hæc etiam Harmenopol. lib. 1. Epitom. titul. 2. de fiscalibus: Cæterùm alij in hoc loco legunt, quale est, sed hæc distinctio non est magni momenti, intelligetu rem ipsam quale quidque est non nudum, non exutum suis commodis quasi vestimentis proprijs, nec obstat huic loco, quod dici solet, interesse refertur ad illud tempus in quo committitur, non in quo petitur l. qui autem in fin. ff. si quis cautionibus, verbi causa: quando Iudex facit litem suam propter sordes tenetur ad Interesse parti læsæ, iam petitio huius Interesse, videlicet partem esse læsam petetur secundum dictum Canonem, sed hæc propositum huius loci non elidunt cum dissimilia sint, vt alterum ex

altero non queat dijudicationem pati.

L. 3.

Sententia huius loci est, condemnatus non praestat vsuras post sententiam, quippe post rem iudicatam tempus à dependendis fructib. immune est, quod humanitatis causa constitutum legitur in fauorem condemnatorum §. in his inf. eo. Hoc tamen accipe de quadrimestribus inducijs tantùm, iuxta l. 1. C. de vsuris rei iudicatae. sed si ante sententiam moram traxit illius dabit & exoluet vsuras vel fructus, nec ob hoc quod condemnatis indulgetur tempus legitimum ad solutionem instruendam liberabitur reus conuentus ab vsuris, quas cogitur dare propter moram cùm ea temporis intercapedo condemnatis non debeat lucrum afferre, sed dilationẽ tantùm: praecipua autem quaestio erat de Iure, si quis post rem iudicatam moram fecerit, respondit Imperator Marcus Antoninus quod fideicomissarius debeat accipere commoda & vsuras vsque ad sententiam.

Sed puta legis falsidiae) Dion in augusto meminit huius legis & legislatoris, eumq; ait Tribunum plebis fuisse, meminit huius quoque Hieronymus in Chronicis Eusebij & Gratianus in c. quaedam 2. distinctione, dicta est autem haec lex falcidia, quia Falcidius Tribunus Plebis eam à populo rogauit non à falce instrumento rustico quod Accursius somniauit in hoc tenebris non occurrens. Caeterùm scriptus haeres in fideicommisso restituendo ratione legis falcidiae potest quartam retinere, si non habet

eam

eam ex bonis defuncti: vide Authent. de restituendo fideicommisso & toto tit. instit. de lege falcidia, adde l. pater qui ff. de castrensi pecul. quod verò ad hunc textum enodandum attinet, sciendum, quod sæpè obtentu legis falcidiæ fideicommissi præstatio retardetur: siquidem cùm huius legis dubium & hæsitatio incidit (non quod de lege dubitetur, sed an quartam hæres respectu & ordinatione huius legis deducere debeat de bonis quæ fideicommissum restitui debent) hæres excusatur ab vsuris, quod tamen accipe iuxta temperamentum l. 2. C. de vsuris legatorum. Et ad hoc respexit Iureconsultus hoc loco, inquiens, Sed puta legis Falcidiæ, &c.

Ad clariorem huius loci intellectum adde & hoc, sæpè dubitatur, an plus accipere legatarius contendat quàm per legem falcidiam liceat, vnde postulari solet cautio de restituendo superfluo, ac sic interna tempus trahitur, licet mora à parte hæredis non interponatur, sed certè in hoc casu melius est sibi consulere per retentionem, donec res liquidetur quam per repetitionem quæ difficilior, interposita cautione, vt super hoc in multis locis consuetudo est.

§. in his) satis superq́ patescit ex l. vulgo. in. eo.

Quæ arbitraria non sunt) Hîc notandum arbitraria iudicia differre à strictis, & bonæ fidei iudicijs: vulgo traditum est arbitrarium iudicium esse in quo propter aduentitiam causam aliquam Iudici ex bono & æquo arbitrari liceat, præter

naturam actionis quæ intenditur. Bartol. in l. vni. C. vbi conueniatur qui certo loco dare promisit. Intelligit autem hoc loco Iureconsult. iudicia stricta, in quibus tantùm linguá nuncupata debentur & ea quæ in stipulationem ab initio ingressa sunt, nisi quod iudex in his etiam suam auctoritatem interponat & moderamen quandoque adhibeat, vt si tempus moræ inspiciatur in æstimatione quæ officio iudicis venit l. quoties ff. de verbor. obligationibus.

Cæterùm strictum ius dicitur ad differentiam bonæ fidei, in qua latior fit interpretatio secundum æquum & bonum, sed in stricto iudicio id duntaxat computatur, quod actionis natura strictè exigit, exigit autem vt vsuræ ante litem contestatam ex mora non debeantur l. quod tandem ff. de negocijs gestis: denique quanto minus possumus ei tribuendum est §. præterea §. sed istæ institut. de actionibus: Ecce & hanc distinctionem: obligatio veniens ex contractu bonæ fidei diuiditur, si autem ex stricti iuris, non, secundum Bartolum in l. stipulationes non diuiduntur in 4. col. ff. de verbor. obligationibus. Sed opponitur. Bona fides etiam requiritur in stricti iuris iudicijs l. bonam fidem ff. de actionibus & obligationibus.

Solutio.

Non negamus hoc, sed asserendum, quod in bonæ fidei iudicijs magis desideretur, quàm in stricti iuris l. si dolo C. de rescindenda venditione, quia quandoque dispositio æqualis est locumque habet

tam

tam in stricti iuris quàm in bonæ fidei iudicijs l. iurisgentium §. quinimo ff. de pactis l. petens C. eod. & ita soluit Bartol. in l. si id quod aurum in princip ff. de verbo. obligationib. tenendum itaque regulariter aliud obseruari in contractibus bonæ fidei, aliud in contractibus stricti iuris l. quicquid astringendæ ff. de verb. obligationibus: l. bona fides ff. depositi l. 3. ff. pro socio Bartol. in l. sub prætextu, in vlt. col. C. de transactionibus & per Alexandrum in l. si mora in 7. ff. solut. matri.

A fructibus dependendis immune est) Colligitur hîc quod iudicati non prius experiri liceat, quā tempus legitimum præterierit, quod iudicatis accommodatur in fauorem eorum: benigna enim sunt iura, nec citius rebus iudicatis moram contingere videri: vnde via sternitur ad intelligendum, quod non nisi à tempore condemnatis indulto, vsuræ actione iudicati peti possint, siquidem debitor eius tēporis, quod iudicatis ex beneficio legis concessum est, ad pœnam vsurariam non astringitur vt iacet litera huius textus.

§. nonnunquam) Argumētum huius loci est, ex voluntate testatoris accessio fructuum & vsurarū venit, quamuis mora facta non sit interpellanti: Est igitur hæc vna species in qua fructus restituuntur secundum supremum elogium testatoris.

Quicquid ex bonis supererit) Superesse in iure in bonis intelligitur, quod reliquum manet dimissis in solidum creditoribus & ære alieno deducto siue detracto.

Vt enim ea quæ bona fide) quando hæres rogatus est restituere superfluum & reliquum ex bonis defuncti, & medio tempore aliquid alienauerit vel diminuerit, puta si res hæreditarias pignori dederit, vel alia de causa alioùe modo de rebus qualitate earum ita exigente hæreditarijs dispensauerit, bona tamen semper fide non interuertendi fideicommissi causa, non comprehendetur illud in fideicommisso quasi malè custodito, secùs si mala fide versatus sit, vide l. super his l. Titius rogatus est, & l. deducta in fin. ff. ad Trebellianum.

§. cùm Pollidius) casus facilis iacet, disputatio præcipua existit, de fructibus quæriturque an eos debeat lucrari Pollidius, sed contra eum deciditur ob eam causam quod illi aliquid præligauerat mater.

Sed potius necessitudini res committeretur) necessitudo hoc loco pro consanguinitate accipitur l. fin. ff. de iustitia & iure l. penult. ff. de legation. præstand.

Ac necessarius pro consanguineo l. non tantùm ff. de appellationibus & necessaria persona l. 2. in fi. ff. quando appellandum sit l. 3. ff. in ius vocati vt eant, Iob. necessarij mei venerunt ad me, Item necessitudinis infinita est æstimatio l. non est singulis ff de regulis iuris.

Ex hoc loco colligitur nos magis fiduciam habere debere in propinquis & sanguine iunctis, quàm in peregrinis, quod hîc à bona illa fœmina factum

vide-

videmus. Eodem respectu pater debet magis filijs suis concedere bona quàm exteris, l. Titius §. Maeuia. ff. ad Trebellianum: Papinianus quietam & verecundam domum sequi maluit, hoc est, fidem habere modestae & honestae familiae, l. cum vnus, ff. de alimentis vel cibarijs legatis.

Fundum retinere iußisset) arbitror per praeceptionem quae in iure vsitata est l. Statius Florus ff. de iure fisci. est autem hîc praecipere, antecapere, & praecipua habere dicitur phrasi Iuridica l. miles ff. de castrensi peculio: Virgilius:

Magna spe praecipit hostem.

Lucanus libro 6.

Hoc iter aequoreo praecepit limite Magnus, hoc est, praeuenit, antecoepit.

Tantùm praelegauerat) qui donat aliquid alicui à caeteris eum abstinere vult, vt qui in vno permittit à caeteris probibet, l. maritus C. de procuratoribus, sicut vice conuersa, qui vetat & interdicit vni, caeteris permittere videtur l. cùm praetor ff. de Iudicijs, perpende cum hoc loco, l. Titia ff. ad Legem Falcidiam, & l. cùm virum C. de fideicommißis vbi praeceptiones praelegata vocantur, & pulchra disputatio continetur in istis duabus legibus pertinens ad hunc locum.

Lubrico tutelae) Graecismus est pro lubricis & inconstantibus tutoribus, consueuerunt enim ita Graeci vsurpare adiectiuum neutrum pro substantiuo. Estque hoc etiam vsitatum Iureconsultis

sultis sicut & alijs scriptoribus huiusmodi Graecismos elegantiae causa assumere, vt in praefatione ff. aduersario nullo constituto, &c. Sic Galli dicunt alienum pro re aliena substantiuè, l' autruy, Annotauit hoc etiam Georgius Fabritius in sua Syntaxi Graeca non procùl ab initio.

§. Si auro) Si quis aurea vasa formata artificialiter non rudem adhuc massam reliquit ad instar fideicommissi, & voluerit his vasis distractis & diuenditis fideicommissum persolui, hoc in casu si haeres moram fecerit non impunè feret eam versipellem & deceptoriam frustrationem: sin autem testator voluerit duntaxat his vasis argenteis siue aureis fideicommissarium vti, non sine pudore & ruboris subiectione vsurae desiderabuntur, nisi fortè fideicommissarius contenderit ex locatione horum vasorum se potuisse si moram nullam interposuisset haeres percepisse compendium, quod equidem posse eum facere videtur per l. videamus an §. praeterea, infra eod. Quippe si quis recta mente & subducto consilio perpendat hanc rem, eam ob causam vsurae ex his speciebus debebuntur, quod istae res aestimatae & distractae praesentem pecuniam gignerent ex qua diutius quàm aequum sit & conueniat retenta & suppressa ab alio, vsurarum praestationes oriri consueuerunt, similiter & in alijs casibus, vt vestem aestimatione propria acceptam si in tempore congruo non offeratur verere

gere

gere in vsuræ præstationem propter præcedentem rationem affirmare sine rubore posset priscus aliquis Iureconsultus, hodiernus non item, ideo mutatione iuris facta, non puto tam anguste & edure vsuras petendas, in qua nonnulli iureconsultorum veterum nimis auari rerum æstimatores fuerunt, vt ex hoc loco conspici potest & similibus. ac hodie si quis ex talibus rebus vsuras petere ausus fuerit, non sine risu & ludibrio multorum faceret, hodiernus non fert talia mundus.

Non oportere frustationem esse impunitam) Frustrationem hoc loco pro ipsa mora accipe, vnde in hac re frustrationis vocabulum vsitatum est, vt is qui moram facit frustrari dicatur, nihilque aliud sit mora quàm debitoris ipsius dilatio, procrastinatio, tergiuersatio, frustratioque l. tutor in princip. infra eod. hinc frustrari actionem pro eludere & differre, l. 3. ff. de iudiciis, quod in effectu & reipsa est alium decipere & circumscribere, cùm aliud agitur & aliud simulatur, l. Iurisgentium §. dolus ff. de pactis. Huc facit quod Paulus ait, Qui frustrantur & quaslibet tergiuersatione & solertia efficiunt ne cum ipsis agi possit, l. sed & 24. ff. ex quibus causis maior.

L. 4.

Rem dari vacuamque possessionẽ) Coniunctim hæc verba intelligenda sunt, rem dari scilicet fun-

dum aliquem & vacuam possessionem, nam qui fundum dari stipulatur ait Pomponius, vacuam quoque possessionem dari oportere stipulari intelligitur l. ratio possessionis §. 1. ff. de actionibus, Empti confer cum hoc textu l. Valerius ff. de iure fisci: Non est quidem ea vis verborum si separatim per se & sola in stipulatione posita attendantur, vt fructus quoque sub ijs contineantur, sed quod is sit sensus, & quod stipulator de effectu vacuæ possessionis cogitasse præsumatur, & per hoc etiam fructus sibi asserere voluisse: Estq; hæc præsumptio iuris, cui tamdiu standum est donec contrarium probetur.

Actione incerti) Nota hîc actionem incerti ex stipulatu, de qua vide titulum institu. de verborum obligationibus in princip. & ibi pulchrè Theophilum: exemplificabis etiam hoc pacto, si quis certi agri vsumfructum stipulatus fuerit, incertum intelligitur in obligationem deduxisse, neque enim constat de magnitudine fructus futuri, aut etiam exiguitate, cùm is pẽdeat ex multis causis naturalibus & vagabundis, vnde meritò incertus fructuum prouentus dicitur l. si ita lege C. eod. adiunge his l. vbi autem non apparet §. fundi certi ff. de verbo. obligationibus. Porrò hæc actio incerti refertur etiam ad interesse, vnde actione incerti agere est ad suum & propter suum interesse niti & agere l. fi. ff. si quis in ius vocatus non ierit. Cæterùm diximus superius, interesse tantum esse quantum probari posit, cùm nullis regulis iuris

ris

ris comprehensum sit l. quatenus ff. de regulis iuris quippe facti quaestu est quae in arbitrio iudicantis consistit l. 1. §. nam vt ff. ad Turpillianum l. ordine ff. ad Municipalem l. 2. ff. quis à quo appelletur, &c.

Siue factum) nudum scilicet, nam quoad factum nihil aliud continebitur, nisi vt res tradatur quae promissionem ingressa eaque inclusa erat. Estque notandum ex hoc loco quod iureconsulti consueuerunt secundum ea quae proponuntur in vtranque partem disputare, & postea altera opinione iniquiore refutata aequiorum retinere, quod faciunt inuestigandae veritatis gratia, vt nos quoque superius in argumentorum tractatione admonuimus, Louanij dicunt DD. iuris, secundum rationem dubitandi & decidendi, dubitant primum iureconsulti, & postea decidunt recte, quia dubitatio praeparat animum, vt deliberatius rem perpendat.

Siue effectum per traditionem) vt videlicet licet per rei traditionem stipulator Dominus efficiatur, & tunc nihil aliud nisi res ipsa dari debebit, seiuncta cogitatione fructuum.

Partus non continetur) aliud enim est res ipsa, aliud rei partus & prouentus, idemque etiam vel multo magis in emptore dicendum erit, si idem nouandi animo stipulatus fuerit, quia hoc casu etiam venditor non de effectu Domini cogitasse, sed de tradenda solum re intelligitur.

Sed tamen) Epanorthosis est superioris disputationis, ad euidentiorem autem huius loci intelle-

ctum, quod de fructibus dicitur accipiatur simili modo de partu ancillæ, si quis itaque ancillam stipulatus fuerit, an etiam partus contineatur? quæstionis est: Et magis est ut contineatur (iam homines non curarent partum contineri, aliud erat olim propter seruitia, iam puerum quis gratis accipere potest, olim precio propter seruitutis commodum) quippe qui fundum stipulatus fuerat, postea fructus captos actione incerti ex stipulatione consequebatur, ut superius in princip. huius legis, merito igitur deciditur quod contineatur, & ratio utriusque speciei est, nam in præcedenti casu cùm agebatur ad fructuum præstationem, fiebat hoc propter moram, ex qua nascitur petitio eius quod interest, aliâs sanè non veniunt fructus in actionem ex stipulatul. 3. §. 1. ff. de actionibus empti. Idem dicendum de ancilla & partu, nam contemplatione partus committitur incerti stipulatio propter moram, Etenim ancilla tradita, hoc est, si tradita fuisset quod non erat, ideo mora & interesse venit, partum postea editum in bonis suis reus stipulandi habere potuisset, nec obstare potest superior disputatio quæ docendi causa introducebatur, nam qualiter qualiter quis inferat, illud certum est quod qui vacuam possessionem tradi stipulatur, non nudum factum ea stipulatio continebit, sed causam bonorum & interesse, si non fiat quod conuenit. Existimo hunc intellectum esse commodum facescant verborum caligines & amba-

gum

gum Meandri, quos glossa multipliciter intricat, sed non extricat commodè. Ac vt largius clucidarium præbeatur, huius quæstionis in dubium adducatur & quæratur, an superior stipulatio incrementum ex fructibus aut etiam vsuris sentire poßit? ad quod dicendum secundum ea quæ proponuntur ex mora incrementum habituram stipulationem vt id quod oportebit, comprehendat assero illud ex l. 1. §. bellißimè ff. vt legato.

Nouandi animo) Hîc repetantur quæ diximus superius ad versicul. partus non continetur.

Sed non est verisimile) Locus hic etiam apud Rhetores est vsitatißimus ex coniectura, quæ probabilem rationem parit si causa subsit, & iuris præsumptio suffragetur, nemo quippe præsumitur suam causam prægrauare, vt hîc in venditore exẽplum proponitur, ac facit pro venditore quod hoc in loco Paulus disputat, quia etsi per stipulationem nouare actionem quam habemus possumus, & quodammodo primæ aliam substituere, tamen plerunque in ea non plus erit quàm in prima, nisi per expressum probari poßit contrahentes animo nouandi conuenisse, vt aliquando ex facto didici, non diffiteor equidem quod in nouatione nostram rem reddimus, vel deteriorem vel meliorem, quia aliàs esset actus superuacuus, attamen si liquido obtineri non poßit per nouationem discessum esse à priori

con-

priori contractu, in dubio præsumitur neminem suam rem facere deteriorem voluisse, per hunc textũ quia non est verisimile, &c.

Interim verò sæpe errorem committi in nouatione totumq́; eius actum esse ex abundanti, nihilque efficaciæ amplioris lucrari, hoc est, per eam nõ plus acquiri quàm fuerit in priori obligatione: Ecce enim si cui legatus sit seruus, & legatarius stipuletur eum non esse fugitiuum erroneè stipulatur, nam qualis qualis est sicut legatus est, ita debetur, nec meliorabitur per subsecutam stipulationem l. si legati serui nomine ff. de legatis. Eodem modo si quis legatum conditionale iterum stipuletur, stipulationi eædem causæ & conditiones inerunt quæ erant in priori actione incerta propter legatum pendens adhuc ex conditione & incerto die l. 1. §. si quis sub conditione ff. vt legatorum nomine caueatur, teste siquidem Bartol. qui inreconsultorum quasi lucerna & Corypheus habetur, si vna actio in alterius locum succedat eius naturam assumit. Idem est dicendum de eo qui constituit quod ex causa donationis debetur l. qui id quod ff. de donationibus.

Compelleretur) at quid compellitur venditor facere? ad quod dicendum, cogitur rem emptam tradere precio tamen numerato vel alio quodam ipsi dato loco precij, & cætera præstare de quibus conuenit, cùm enim sit bonæ fidei iudicium inter emptorem & venditorem, nihil magis bonæ fidei congruum est, quàm id præstare de quo inter contrahen-

trahentes actum est l. ex empto ff. de actionibus empti, ac graue est fidem fallere l. 1. ff. de constit. pecu. l. 1. ff. de pactis.

§. si post) quod ex stipulatu consequi non poterit) ex his verbis secundum intentionem glossæ colligitur nouationem intercessisse, nam stipulatus præsumitur emptor post factam à se emptionem et sic contractum in aliam obligationem transfudit, quod per nouationem fieri solet, nihilominus tamẽ hîc deciditur quod ex empto agere poterit, vel ex priori actione de eo quod ex stipulatu subsecuto cõsequi non poterit. Atqui per nouationem occidit moriturque priuilegium primæ actionis, quemadmodum priuilegium dotis & tutelæ expirat, peritque si post diuortium dos in stipulationem deducatur, vel post pubertatem actio tutelæ moueatur l. aliam causam ff. de nouationibus. Ergo emptor nihil poterit consequi ex iudicio empti, cùm negocium gestum in aliam formam traiecerit, & hoc modo perierit primæ actionis exempto commodum.

Sed dicendum, hîc non perijt commoditas primæ actionis per nouationem, nam nisi specialiter id actum sit vt discederetur à priori obligatione, non intelligitur ab ea discessum d. l. aliam versic. si id specialiter actum est, nam contractus ponderantur secundum intentionem agentium l. & hæredi §. nos autẽ ff. de pactis, Glossarius ait in hoc scrupulo eximendo satis vrgente, priuilegium primæ actionis perijt in eo tantum quod translatum est in obligationem secundam, quemadmodum enim Solutio.

nim transactio duntaxat intelligitur de ijs quæ in eam ingressa sunt, & de quibus specialiter actum est, & à partibus cogitatum l. age C. de transactionibus. Ita etiam hîc dicendum erit, videlicet non fuisse hoc specialiter actum vt discederetur penitus à primæ actionis proprietate & prærogatiua, quod si esset secus, frustra iuxta stylum huius textus, emptor post stipulationem interpositam iudicio empti experiretur: sed non fuisse perditã primam actionem patit ex verbis: id enim quod nõ transfertur, &c. vertitur igitur cardo in eo, num videlicet interposita post emptionem stipulatio priorem contractum mutauerit an vero non, quod quomodo in hoc casu intelligendum sit innotescit ex iam dictis. Proxima his quæstio, quomodo posterior pactio siue etiam stipulatio mutet priorem conuentionem, ad quod dicendum, si pactum conuentum totam obligationem sustulerit velut empti (verbi gratia) non ex nouo pacto prior obligatio resuscitabitur, sed proficiet pactum ad nouum contractum, quod si non vt tolleret totum contractum intercessit pactum conuentum, sed vt minueret vel etiam adderet, posterius pactum poterit renouare, primũ contractũ l. si vnus §. pactus ff. de pactis. L. 5.

Species facti ita formari potest, aliqs alteri vẽdiderat rẽ nec tradidit vnde inducta mora cũ qdẽ emptor alteri rẽ à se coëmptã ad inhonestũ actum (vt hîc pſumitur) locare potuisset ad suũ lucrum et quæstũ, dicebatur itaq; venditorẽ exhibere debere emptori pstationẽ huius cõmodi amissi, vt aduersa

rius cōtendebat, sed contra eum deciditur, quippe bonæ fidei iudicium non recipit præstationem q̃ honestatem offendit, at si quis ex alienæ rei locatione inhonesta (vt si alienam domum meretricibus locasset) mercedes percepit? respondendum, debet eas restituere neque enim lucrum captari debet ex re aliena, in qua quis ius non habet vt non dicam quòd grauiter delinquat qui impiè ad rem flagitiosam domum non propriam locauit, nec me mouet in contrarium, quod Paulus ait in multorum honestorum virorum prædijs lupanaria exerceri l. ancillarum etiam ff. de petitione hæreditatis. Punitur etiam ex l. Iulia qui domum suam (multo magis alienam qui locauit puniendus) stupri causa alijs præbuit, l. mariti §. quinquennium ff. ad legem Iuliam de adulterijs.

Non recipere præstationem quæ contra bonos mores est) Hoc quale sit alio insuper exẽplo docendi causa manifestabo, si quis alteri fecerit pollicitationẽ rei inhonestæ velut exempli causa, vt munus edat non potest compelli ad editionem, quia præstatio hæc contra bonos mores est l. epist. ff. de pollicita. Edere aũt munus, vt hoc obiter addã, significat gladiatorum ludũ in arenã producere, quòd propter sæuitiam erat odiosum & detestandũ, itaq; à Constantino sublatum fuit l. 1. C. de gladiatorib. lib. 11. Theodoricus Gothorum rex lib. 5. varia apud Caßiodo Alcia. lib. 12. parerg. c. 9.

L. 6.

Hoc caput memorabile est in quo animaduertere possumus ex præstatione vsurarũ diuturna præ-

sumi contractam obligationem super illis & super sorte, vt si quis sortis vsuras soluerit & postea exceptionem non numeratæ pecuniæ apponat, nihil agit l. cùm fidem C. de non numerata pecunia, Ita & in huius capitis casu quidam dedit mutuò seruo vel filiofamiliâs 100. cum pacto de præstandis vsuris, qui quidem centum solidi siue aurei vngarici, fuerunt conuersi in rem domini vel patris: Iam is præstitit per multos annos de illis 100. vsuras, postea desijt recusauitq́ facere præstationem earum amplius, incipit dubitare nū vsuræ debeantur nec ne, & ex qua causa, fuit quæsitum, res & litigium deducitur ad iudicem, demum ad imperatorem, respondit imperator deberi vsuras cùm sint tempore longo præstitæ. Et sine dubio cùm in hoc casu multa facerent pro creditore siue actore, & iam accederet insuper longi temporis præstatio, responsum est ab imperatore pro actore: Illud enim certum est ex longa præstatione pensionum præsumptionem induci de debito earum l. cùm de indebito ff. de probationibus l. 4. C. de non numerat. pecun. dixi præsumptionem induci quæ toties verá est quoties cum veritate concurrit, quia non inducitur ius neq; obligatio ex sola præstatione l. si certis annis C. de pactis nisi alia validiora concurrant quæ haudubiè in hoc casu non defuerunt actori. Secundus in hoc capite casus est talis: quidam flauius habuit filiam Antenagoram dictam cui decies centena promisit dotis nomine, de his diu pater præstitit vsuras, (quos nos reditus annuos vocamus, antiqui iureconsulti

sulti sæpè vsuras dixerunt, zinsgelt) postea publicantur huius Flauij bona & rediguntur in fiscum, mouetur quæstio num fiscus debeat præstare sortem promissam filiæ & deciditur pro ea, Estq́ insigne humanitatis paradigma.

Ex his factorum speciebus videmus ex facto ipso & præstatione alicuius rei cæteris tamen paribus colligi de iure siue quod idem est à facto ad ipsum ius ratiocinamur, verbi gratia, fecit hoc, præstitit hoc, ergo iure debuit facere, quippe nemo præsumitur erogare de suo & aliquid sumptuosum non lucrosum sibi facere, ad quod de iure nō teneretur. Huc pertinet quod idem sit facto aliquid ostendere & verbis ipsis, Item actus extrinsecus probat intrinsecū animū l. his qui in fi. ff. de tutorib: & curatorib. Huius loci praxis est frequētissima, quā tibi cādide lector commendo, videbis enim indē magnū tuum commodum si rectè didiceris vsurpare, vidi ipse & pars magna fui: Ecce enim si quis ad expediendam solutionem, petat dilationem, iam condemnatus, manifestè exinde probatur eum acquiescere sententiæ l. solutionem C. de re iudicata. Idē obtinet in condemnatis qui dant pignora vel fideiussores, nam eo modo tacitè sibÿpsis adimunt facultatem appellandi, nec audirentur si postea appellationem persequi vellent.

Ein schuld wirdet durch lange reichtē zins davō probirt außgenomē in kirchen oder minderjariger güter/oder so an denselben das gemein recht sunst widerwertig wäre/so muß *Practica.*

man als dann einen rechtmessigen titel derselben schuld darzuanzeigen/ *quotiescũque quis debitum petit, cui commune Ius resistit, tunc non sufficit allegare titulum, nisi probetur, vt in c. 1. de præsumptionib. lib. 6. secus si ius commune non resistat.*

Vsurarum quæstio moueretur) Attende hic quæso cordate lector in vsurarũ quæstione, quod ea quãdo agitur ex contractu bonæ fidei referatur ad moram, nam semel pro semper tenendum quod in bonæ fidei contractibus ex mora debeantur vsuræ l. mora §. in bonæ fidei infra hoc tit. Sed in hoc nostro casu iudicium erat stricti iuris, ex quo agebatur de in rem verso, vt in specie facti ante assumpsimus, quæ distinctio nõ est prætereunda, siquidẽ erant mutuo dati 100. cùm stipulatione de vsuris, est & mutuatio stricti Iuris cùm habeat annexã promissionem vicissitudinariam.

Cum longo tempore) Practica in Germania vsitatissima est, quid intelligatur per longum tempus, Durch ein lang zeit/ *si ita scriptum inueniatur in instrumẽtis,* in den alten siegeln vñ brieffe/ *ad quod dicendum, longum tempus intelligi de 10. vel 20. annis, & hoc maximè in dubio procedit quando ignoratur quid per longum tempus intelligi debeat l. sine præfinito ff. de pœnis. Ita si in metallum relegatis per iudicantis imperitiam nullum tempus sit præfinitum decennij tempora præfinita videntur, ait Harmenopelus libr. 1. Epito titul. 4. de quadrimestri quod debitoribus, adde titulum*

C. de præscriptione longi tẽporis decem vel viginti annorum: Iam hic vides præscriptionem quoque locum habere in vsuris, ecce enim speciem facti ad hoc ex l.5.C.eod. debitor creditori promisit maiores vsuras præstitit semper minores vsque ad hoc tempus, iam postulantur & exiguntur grandiores & maiores idque ex stipulatu, quid faciet debitor? nimirum se tuebitur exceptione taciti pacti, non secus ac si videatur creditor tacitè conuenisse se contentum fore & quietum minoribus de cætero vsuris.

Præstitisset) Hæc præstatio consensum quidem debitoris de ijs præstandis arguit quodammodo, non tamen stipulationem quæ non sit inducere potest: Interim equidem videndum quid hæc præstatio operetur quæ tacitum pactum continet, quod & inducit, at hoc non obligat, dicendum, si de obligatione dubitetur eam introducit vt hoc capite & l. litib. C. de agrico. & censi. Item obligationem si qua fuit confirmat, extinctis & sublatis exceptionibus quæ competebant, veluti non numeratæ pecuniæ aut Macedoniani l.2. C. ad Macedonianum l.4. C. de non numera. pecunia: huc pertinet (sæpius idem repetendum cùm sit bonum) quod cùm debitor maiorũ vsurarum, semper Reip. inferret & solueret minores, tacitè videtur iuris præsumptione pactus cùm Republica de maioribus non præstandis, neque enim in hoc casu Respublica videtur aliquid remittere quod possit repetere, vt cùm administrator ciuitatis fru-

stra remittit quod debetur ciuitati, si quis tamen obijciat diuersum & alienum esse in hoc exemplo Rempub. comparari cum alijs cum ea sit multipliciter priuilegiata, cui dicendum, quod in multis articulis eadem sit causa Reipub. & aliorum priuatorum: hæc attingit l. 9. C. eod. & l. Paulus respondit ff. quibus modis pignus contrah. Cæterùm ad inducendum debitum vsurarum requiritur x. vel xx. annorum præstatio, quod tamen in alimentis quæ alicui relicta sunt paulo secius obseruatur, nam in his sufficit præstatio triennalis, vt debeantur, ideo autem alimenta non requirunt tam continuam & perpetuatam præstationem, quia ex ijs pendet vita hominis, & multum fauorizantur propter eandem causam: ac sic præstatio tacito pacto introducta interdum perpetuat obligationem, verbi causa, in hoc negocio alimentorum, de quib. si dubitetur, cùm constet quidem ea legata esse. sed an perpetuo an vero ad tempus debeantur, non constet neque manifestum sit, hoc in casu si quis triennio præstiterit satis superque documenti & probationis adest vt perpetuò debeantur: hæc hactenus.

Antinomia.

Porrò in speciem videntur hîc quædam opponi posse, nam in l. creditor C. eod. definitur etiamsi aliquando ex consensu præstitæ sint vsuræ, obligationem tamen non constituunt, quod videtur elidere Thesin, qua dicitur per longam præstationem vsurarum præsumi contractam obligationem super illis.

Sed

Sed discußio huius obiectionis consistit in verbis, aliquando ex consensu d.l.creditor vbi intelligitur semel atque iterum præstitas fuisse vsuras ex tali consensu, at non longiore tempore, adde l.si certis annis C.de pactis, quam tamen referunt aliqui ad nudum pactum, ex quo vsuræ sine vinculo stipulationis non debentur l.quamuis C. eod. solutæ tamen non repetuntur d. l. quamuis: necesse itaque habebit creditor qui vsuras petit probare stipulationẽ interuenisse l.creditor C.eod. Et quidem ex ipsis rebus non defunctoriè aut translatitiè eum debere probationes adferre manifesti iuris est l.fi.in fi.ff.ad Municipal. Solutio.

Antinomia.

Quando libertus propria sua motione præstat operas, quas fortè non promisit, quæ ei quoq; non fuerunt impositæ ad præstandum deinceps eas non compellitur l.operis ff.de operis liberto: Ergo neq; vsuræ ex præstatione incipient deberi, debitum quippe vsurarum iuxta communem sententiam omnium DD. & interpretum regulatur ex causa à qua descendit & transumitur, non autem regulatur à præstatione d.l.si certis annis C.de pactis & ibi DD.per consequentiam, igitur licet vsurarum præstatio aliquandiu contigerit vt hîc, inde tamẽ non probabitur earum debitum.

Assumo hîc quod Franciscus Duarenus facundus suo tempore & tersus stylo non sine magna eruditione, alibi dixit hoc loco quæsitum fuisse, an in rem versum esset, ac ex eo quod longo tempore præ- Solutio.

ſtitæ fuerint vſuræ, cenſeri in rem fuiſſe verſum, vel quod idem eſt, ex eo quod diu pater præſtitit vſuras teſtatus eſt ſe pecuniã debere tanquam in rem ſuam conuerſam, quod non fuit d. l. ſi certis annis: quod verò attinet ad obiectionem de Liberti operis, dicendum, quod iſtæ operæ intelligantur (ſunt autem diurnum officium) aliquando præſtitæ ex conſenſu, quæ obligationem non conſtituunt, ſicut neque vſuræ ſemel atque iterum præſtitæ, cùm ſatis abundeque ſufficiat, ſi cui vel in paucis amici labore conſulatur l. tutori C. de negocijs geſtis. Atque in hunc ſenſum memini d. l. tutori allegatam fuiſſe à Doctiß. viro Ioanne Odendorpio in publica diſputatione anno &c. 59. Marpurgi.

*Athenagoræ) Gloſſarius hîc comminiſcitur, quod Flauius dederit filiæ ſuæ Athenagoræ dotem quod non eſt, ſed promiſerat tantum & dotis promiſſæ vſuras præſtiterat (*das jargelt hedt er dauon bezalt) *quod ſi eſſet, fruſtra diceretur hîc, ideo numerari de fiſco decies centena nomine dotis iußit.*

Cuius bona fuerant publicata) Notandum quod peculium filiæ cuiuis patris bona publicantur & in fiſcum deputantur, excipiatur ab illis & ſeparetur, & quidem imprimis dos quæ ipſius filiæ peculiare patrimonium eſſe cenſetur, l. 3. §. ſed vtrum ff. de minoribus.

L 7.

Et eam cùm accipere voluiſſet) Hîc per creditorem ſtetit quo minus ſolutio expedita fuerit, vns

de ipſe

de ipse in mora esse censetur, nec hoc nocebit debitori, quod quale sit bene vice accepta ex subiecto exemplo facilè intelligi potest, vt æquum est si per eum steterit qui debebat dare literas quo minus det ne hoc accipienti noceat l. vnica in fi. ff. de libellis dimissorijs.

Obsignauit & deposuit) Ergo est necessaria, oblatio, depositio & consignatio l. tutor pro pupillo §. 1. ff. de administratione & pericul. tutor.

Ratio non habebitur vsurarum) Ætiologia huius decisionis eleganter profertur à Marcello dicente, oportet id esse pro soluto in quo accipiendo creditor moram facit, quod adeò inualuit, vt si res semel oblata perierit, non teneatur amplius debitor l. qui decem ff. de solutionib.

L. 8.

Equis) Siue etiam equabus, quia masculinū in iure concipit fœmininum, vide l. 39. infra. eod. nihil est præterea.

L. 9.

Dupli stipulationem in altero tanto) hoc est dupli præstationem, tantundem semel quantum in sorte datum est, vt scilicet sit dupli stipulatio in altero tanto simplum, alterum sortis, alterum accessionis, Cicero in Oratore, pes qui adhibetur ad numeros patitur in tria vt necesse sit partem pedis, aut æqualem esse alteræ parti, aut altero tanto aut sesquimaiorem esse, allegat hoc rectè Hotoma. alibi.

Demosthenes contra Mediam versicul. ὑμεῖς δὲ ὦ ἄνδρες ,ibi, τοσοῦ τῶν ἱερῶν : Ita qui in loco fisci thesaurum inuenerit & partem ad fiscum pertinentem suppresserit, totum cum altero tanto cogitur persoluere l.5.in fi.ff.de iure fisci, crebrò verò vtuntur iureconsulti hac locutione, altero tanto, l.si postulauerit in princip. ff. ad l. Iuliam de adulterijs cum similibus. Intellige etiam alibi in iure, altero tanto, scilicet sorte amplius & largius, exempli causa, si debeantur 100. & vsuræ nomine 100. persoluantur, nihil amplius debebitur aut etiam præstabitur nomine vsurarum, quoniam nunc sortem ipsam illa vsura æquauit, sed hoc quod exigetur & præstabitur, in sortis commodum cedet, (hæc sunt maximè mercatoribus obseruanda, qui quandoque nimijs vsuris exuguntur) & sorti ipsi annumerabitur: his consequēs est dicere, si debitor soluerit 200. quod sit liberatus simul & simul à sorte & vsuris, nam non oportet vsuras excedere duplum sortis, l. si non sortē, §.1.ff.de condictione indebiti l. 4. §. pro operis ff. de nautico fœno. referenda est igitur huc per expressum dupli computatio quæ ex iustitia debet proficere reo, quando videlicet per vices temporum solutæ vsuræ, & tandem in vnum computatæ & congestæ excedunt duplum sortis, quanquam autem negabatur prodesse debere reo talem computationem dupli, l. vsuræ C.eod.tamen hoc rectè est correctum & in melius reformatum in Nouell. constitut.121. & 138. vide de hoc etiam Alciatum lib.1.parerg.c. 33. sed ne hæc fortè obscurius

prolata

prolata exemplis careant & difficultate laborent. dicendum manifestissimè, vsuras supra duplum ne quaquam deberi, hoc est verbi gratia, cùm 100. debentur, & vna vice pro vsura soluuntur 100. tunc vlterius vsuræ nullæ current sed subsistent, vel etiam si sors sit 100. & pro vsuris soluantur 150. centum liberant rem, si sit pignus, ab vsuris, 50. sorti imputabuntur: hæc inculcare mihi non est molestum, cùm hoc sit tanti momēti quanti aliquid possit esse maximi in toto vsurarum tractatu propter miseros homines qui ex hoc loco refrigerium accipiunt, cum se experiuntur grauari excrescentia vsurarum. Hæc tamen non possunt accommodari ad reditus annuos, qui multis modis excedunt duplum sortis tractu temporis, quod ideo dico, quia antea statuimus reditus anniuersarios esse vsuras ex Scæuola iure. Aduerte igitur, bone lector, quæ dicantur. At ne quem lateat quid sit soluere per vices temporum, hoc est, per partes, vt singulis Calendis tres in centenos, quo pacto vsurarum ratio poterat duplum excedere nec coaceruabantur ante Iustinianū, vt d. l. vsuræ. C. eo. sed iam hoc modo vsuræ solutæ per partes diuersis temporibus, veluti singulis Calendis coaceruantur & in duplum computantur, quod in ea computatione excedit duplum sorti cedit, vnde manifestum redditur vsurarum rationem valde iure ciuili restringi & coërceri.

Non tenere) Stipulatio non tenet quæ concipitur vltra modum legitimum vsurarum l. si tibi 10. ff. de pactis, l. hactenus §. si quis ff. de constitut.

pecuni. l. cum frumentum C. eod. Cæterùm de modo legitimæ vsuræ consule vlterius si voles Alexand. ab Alexand. lib. 1. genialium dierum c. 7. circa fine.

(Cuiuscunque temporis) Distingui solent tempora in vsuris, quarum petitio quo ad solutionem singulis mensibus vel singulis Calendis designabatur, & præcipuè centesima erat mensura, vt appareat Ethnicos eam didicisse à Iudæis, Iudæi enim numerant omnia sua festa, acta & alia iuxta menses, fortè propter annum lunarem. quo vtebantur ante Iulium Cæsarem.

Superfluo detracto) Hîc videmus fieri separationem inutilis ab vtili, quò pertinet commune dictum DD. vtile per inutile non vitiatur, quod tamen in suis terminis ita accipi oportet, cùm non sit perpetuum, sæpè enim contingit vt vitietur, quod ita exaudiri oportet: In his quæ separationem admittunt vtile per inutile non vitiatur, præsertim in stipulatione vsurarum, vbi tam ad sortem separatim quam ad ipsam vsuram attendendum est, vnde in harum controuersia separatim duplex sententia diuisa datur, l. cum in vna causa ff. de appellationibus, & quia sunt diuersæ stipulationes sortis & vsurarum, constitutum est vt qui intercedit pro summa, non teneatur pro vsuris, denique fideiussor pro sorte ad vsuras non tenetur nisi quid tale conuenerit, l. si fideiussores Magistratuum §. 1. ff. de fideiussoribus. Huc pertinet quod cùm pecunia publica ablata reuocatur, eius non præstantur

vsu-

vsuræ, quoniam res non persona conuenitur l. deniq; ff. de iure fisci.

§ Vsurarũ) Quamuis debitor non conueniatur) non est necesse in hoc casu debitorem conuenire qui semet stimulare debet cũ sit sibi conscius debiti sui, ac interpellari videatur ab ipso die constituta, quo pertinet celebre dictum: Dies interpellat pro homine, neq; enim debet debitor expectare admonitionẽ, cùm ea quæ promisit in memoria seruare teneatur l. magnam C. de contrahend. emption. l. quod te ff. si certum petatur.

Non enim pœna) Hîc videmus prohibitum fuisse pœnam stipulari quod haudubiè factum est, vt occurreretur malitiosæ fœneratorum astutiæ, qui cùm leges distinctè vetuissent certum modum vsurarum egredi isti vulpes pœnas maiores quàm equitas humana sinebat in stipulationem coniiciebant, quod, vt Hottomannus existimat, ita non videbantur legem super modo vsurarum latam offendere aut violare, sed diuersum agere, pœnasque iusto maiores petere, quasi de hoc leges nihil dixissent, ideoque ipsis concedendas pœnarum vsuras arbitrabantur: sed his fraudibus, sæpè obuiam itum est. Nunc quoque quidam fœneratorum excellentium circumscribentes miseros ita agunt, obstringunt mutuatarium ad chirographi scriptionem, in quo nulla fit mentio vsurarum, sed annotat debitor simpliciter se tantùm debere, iam postea non quæritur ex qua causa, interim mutuatarius idemque debitor tenetur ad summam

conuen-

conuentam tam sortis quàm vsurarum si fortè vt fit nunc multis in locis 20. aut. 30. aut quantum fœnerator potuit accipere, promisit, vsurarũ nomine quotannis debitor. Ecce ingentem fraudem, horresco referens monstrosa negocia rerum, aliàs aliter sic extulimus ea, sunt & illi astuti & versipelles fœneratores, qui ab initio non stipulantes numerosas vsuras ne in pœnam incidant, sed quasi liquidum debitũ pecuniæ curant sibi scribi obligationes, & postea lapso anno efficiunt decursas vsuras incorporari sorti per renouationem vel iterationem scribendi chirographi, in quo nulla fit mentio vsurarum, sed liquidi debiti pecuniarij, ecce vulpes, hodie quoque leges vsurariæ circumscribuntur vt olim, cùm nõ dissimiliter ageretur cùm Voconia et Furia legibus testamentarijs, quas astuti homines multis modis circumuenire volebant, vt id exprimit Theophilus Paraphrastes Instituti. ad legẽ falcidiam, tradidit id etiam eleganter Franciscus Duarenus Biturigib. anno 1555. in commentario tituli ad l. falcid. ita homines sunt procliues etiam ipsas leges circumuenire & malitiosè exponere l. contra ff. de legib. ac certè dolus malus est id moliri.

Illud equidem in dubium non venit pœnam stipulari licere in acquisitione vsurarum, vt si stipulatio concipiatur ex die moræ pœnam moræ continere solet, & dicitur pœna l. 90. ff. de verborum obligationib. si tamen modum vsuris præstitutum non superet l. pœnam infra eod.

Sed fœnus vberius) Si stipulatio vsurarum purè concipiatur, statim vires accipit ex die interpositæ stipulationis, hæc lucrum continet, & propriè dicitur fœnus: ac quando maiores vsuræ promittuntur propter cessationem quæ tenetur, non promittitur pœna immodica quæ vitiat hunc contractum, l. cùm allegas C. eod. quippe valde inconueniens & dissentaneum æquitati esset propter vnam fortè dilationem & moram pariter & vsuras deberi, & pœnam exigi. Quare quiescentibus minoribus vsuris maiores possunt deberi ex stipulatu exclusa mentione pœnæ, & quidem vberius piguiusque fœnus si tamen proportionetur ad modum et rationem congruam sortis potest debituiri iuxta sensum & stylum huius capitis.

Cæterùm posset quis admirari cur hoc loco fœnus admittatur cùm fœneratores damnabiles sint? dicti quidem ab Etymologia nominis à fœnore. Ad quod dicendum quod cùm fœnus quidem propriè naturalis terræ fructus sit à fœtu veniens ad vsuras translatum vocabulum remansit, ad similitudinem aliorum contractuum lucratiuorum, quemadmodum & sunt vsuræ lucratiuæ quas ab initio stipulamur l. placuit, infra eod. l. ait prætor, §. præterea ff. quæ in fraudem credito. Illud non est dubium quin huius vitæ societas ex parte conseruetur etiam, mutuo, & contractibus, & vsuris licitis, quarum exercitium mediocre ordinationibus, politicis & auctoritate magistratus est institutum: Ergo est licitum, iam his parendum esse propter

timorem

timorem & pœnam in legibus constitutam notissimi iuris est. His positis & obtentis non valet obiectio, Magistratus non habet ius condendi leges aut ordinationes pugnantes cum diuinis præceptis & lege naturæ, Iustinia. cum alijs in negocio vsurario hoc fecit, Ergo etc. quia minor hic est falsa, quod ita manifestissimè demõstratur, per quæstionem an sit præscriptus modus à Iustiniano & alijs vsurarum seruandus: sicut sacra scriptura est multo sanctior & diuinior Ciuili siue Romano Iure, ita quoque in mutui datione exigit multo maiorem humanitatẽ & charitatis Christianæ opera, quàm leges Ciuiles siue Politicæ, quæ seruiũt præsenti statui huius vitæ quæ est miserrima, & in qua vix vllum maius peccatum & frequentius, & grauius quotidie admittitur, quàm auaritiæ crimen ex peruerso hominum iudicio, iam qui reuocant ordinationes Politicas in vsuris ad perfectionem sacræ scripturæ, interimque detestantur neque admittunt modum vsurarum à Iustiniano præscriptum, in eo maximè hallucinantur, quod cùm homines non faciant ea quæ sunt leuiora & faciliora, nihilominus tamen ad magis ardua & difficiliora eos traducere frustra conantur, cùm tamen sufficeret & in leuioribus modum non violasse, paucissimi hodie præscriptum à legibus vsurarum modum custodiunt, imò passim ferè & sine delectu eum violant & transgrediuntur, multo minus seruant præscriptum Christi in vsuris quod perfectius & diuinioris obseruantiæ est: Interim tamen non negamus,

clamans

clamandum esse & retrahendos homines ad vocem Christi quantum possibile est. Ita tamen vt non conculcemus interea tolerabilia iura humana, quae sunt de vsuris inuulgata, ego quidem nunquam faui, neque fauebo aut patrocinabor multis & copiosis vsuris, sed modum earum praescriptum ab honestis legibus asserimus, audi quaedam (obsecro) quae breuiter expedire promptum est: tota vita nostra potest regi ex sacrae scripturae praeceptis, ita vt non indigeamus vllo iure ciuili aut Romanis legibus, si possemus nosipsos penitus subdere diuinis decretis, quod est propemodum impossibile iuxta Paulũ dicentẽ, naturam esse vanitati obnoxiam, & non subdi legi diuinae & ne potest quidem, ah quis me liberabit &c. quod videntes Iurisprudẽtes laxiora iura proposuerunt hominib. non tamen contraria diuinis, sed magis accommodata praesenti vitae & hoc fecerunt ex maximis & ponderosis causis. Christus aliqua praecepit, quae vix praestantur ab vllo, quod boni & prudentes aspicentes, vident quàm procùl adhuc absint à perfectione operum quae Dominus requirit, & infirmitatem humanae vitae miserrimam deplorant: ex his similibusque satis obtinere potest vsurarum modum praescriptum à legibus defendi & retineri posse contra malè sentientes cõtrariae sententiae defensores, quae cum ita se habeant non sinistrè à Iureconsulto hîc dictum est, foenus vberius, nec videri potest quasi feneratorum auaritiam promoueat & approbet, sed foenus vlterius dixit, quia si minores vsurae non fuerint solutae augea-

augescant ipsæ ex pactione stipulationis. Cæterùm hæc stipulatio vberioris fœnoris cum temperamento, tenore, & rectitudine fraternæ charitatis quàm Apostolus retineri mandat, intelligenda est, de qua præcepta præscribi non possunt, cùm in facto consistant.

Illud hoc loco meminerimus cũ fœnoris hîc mẽtio fiat, fœneratores in hoc maximè delinquere, quod ex eo quo non læduntur nec ipsis nocet, & alteri prodest, lucrum & quæstum auarè aucupentur, et conquirant. Ac vt regula iuris naturalis est immota, omnium præstantissima, & nobilissima, ita pessimè & vilissimè, turpissimeq́ contra eam delinquitur. Est autem hæc: quod tibi non nocet alteri verò prodest, gratis est præstandum. sed hic Canon in vsuris valde vitiatur, verbi gratia: sunt aliqui qui pro alio intercedunt apud aliquem, fortè pro pecunia acquirenda monstrato agro certo ex quo reditus præstentur quotannis danti mutuò: hi eam intercessionem gratis non faciunt, sed accepto munusculo, idem in multis alijs speciebus contingit, multò secùs quàm Christiana charitas permittat & patiatur, quàm tales non sequerentur Christum, nec fierent perfecti venditis bonis & distributis ijs pauperibus? Bone Deus, quàm malus est mundus, mundus & alter homo, quàm confusissimè hic status regitur Cacodæmonis astu, quàm nimium creditur, quod pecunia faciat virum, vt & verum est secundum σχῆμα & configurationem gestumq́ huius mundi:

Et fac

Et facit acceptum numerosa pecunia stultum,
Sic muti surdiq́ queunt placuisse puellis
Formosis, si diues opum, si copia rerum,
Vt sint semiuiri plena sequatur eos,
Hei mihi peruersis quàm ritibus illa reguntur,
Ludicra sunt & in his sunt in ijsq́ feras.

Interim tamen audiri & cognosci oportet fœnebria lucra ferè: funebria fœnebre lucrum transcendens metam funebre lethum est,
Hinc vsura ferax auidumq́ in tempore fœnus, ait Lucanus, vbi auidum vocat cupidum & auarum fœnus, in tempore quia in certum tempus debetur, vel quod cum tempore subinde crescat & augeatur, quod quandoque contra charitatem Christianam fieri non diffiteor, ac loquitur Lucanus ibi de excessu vsurarum, sicut & illud eiusdem accipiendum est hyperbolicè potius quàm verè:
Nulla fides pietasq́ viris qui castra sequuntur.
In melius fortè dici posset:
Nulla fides illis qui scorta, imò lucra sequuntur
Immodica, & quæstus illicitos rapiunt, Quales plerunque sunt hoc tempore, qui sunt maximarum vsurarum quæsitores, quib. pecunia, pecunia, totius vitæ prora & puppis est, nec tamen vna pertica & ijsdem Cothurnis metior omnes, de auaritia excæcatis loquor qui nihil officij nec Christianæ charitatis ergo præstant, sed omnia sunt vendentes nihil gratis præstantes, lucrum venale loquuntur, quæstus quæstumq́ requirunt, & mihi commodius est, hinc ipsis epitheta omni tempore pro rei delicto

 attribu-

attributa legimus: Sanguisugæ, hirudines, vultures inbiantes prædis, Bistonij lupi, vsuraria vorago sæpissimè in Iure Pontificio, quidã Germanicus doctor Theologiæ commodè appellabat eos die geitzige wantzen/ Cinices auaros qui pessimè fœtent obtriti, hos quoq; fœneratores appellare potes finances, vnde dicimus etiam finantzerey pro fraudatione & emũctione pecuniæ, astutiaq; quoquomodo explicãdæ pecuniæ ad hoc cõgruit dictio Gallicana finesse, quod Galli vsurpant ꝓ astutia & fraude, acquisitiones verò ipsarũ rerũ dicũt finãces quoad ipsas facultates & possessiones. Huic querelæ, optime lector, consequẽs est vt adhorter oẽs ad ꝓpendendũ et cogitandũ dictũ Christi. Fac alijs fieri quod cupis ipse tibi: Itẽ, qua mẽsura mẽsi fueritis eadẽ remetiẽtur vobis alij, verbi causa, vt ex multis vnũ exẽplar proferam, Lazarus Bethaniensis petebat à Diuite micas cadentes de mensa eius; quas impetrare non potuit, vnde recompensationis & retributionis loco, cùm diues ille auarus esset, apud inferos flagrantissimis ardoribus infernalium ignium & flammarum æstu secantissimarũ circundatus obtinere non potuit precibus (quæ ciuiliter sunt magnum precium) vnam guttam aquæ qua languidissimam sitim compescuisset: ecce qua mẽsura mensi fueritis &c. Ac maximè quidem in his sectari debebamus quod Paulus ait Dei legatus inter gentes olim certissimus & clarissimus, Beatius est dare quàm accipere, Es ist der Säligkeit neher geben dann nemen Acto. 20. cap. Audi Basilium Theologum explicatio-

plicantem dictum Christi, Date mutuò nihil inde sperantes, perpende, inquit, vim dicti & legislatoris humanitatē admiraberis, quando inopi propter Dominum daturus es eadem & donatio & mutuatio est, donatio nimirum ea de causa, quod spem omnem recipiendi deponis, mutuatio verò propter munificentiam domini, qui hoc officium remunerat iuxta dictum, da pauperi & Domino fœneraberis. At quod Iurisconsulti videntur fœnerationes approbare non habet eum intellectum, quem plerique somniant de mutuo tantùm, quippe Iurecon. & legumlatores accipiunt vsuras quæ plerunque ex contractibus vel quasi contractib. descendunt & causantur, intellige igitur vsuras non communi intellectu semidoctorum, sed secundum leges Romanas, vide quæ diximus l.13.§.quæsitū in.eo. Atq; vtinam de hac re artifices iudicarēt, teste Platone, melius certè cum Repub. Christiana ageretur quàm nunc fit.

Inculpatam moram esse constitit) Hoc est, culpa carentem, ita inculpatam tutelam dicimus, & cum moderamine inculpatæ tutelæ l. vt vim ff. de iustitia & iur. l.1.C. vnde vi & ibi DD.

L 10.

Nisi specialiter & pro hoc egisset) Scilicet vt partus restitueretur, & hoc intelligendum est, si antequam mater peteretur natus esset, post litē verò contestatam & accepto iudicio hoc non requiritur, nam eo tēpore tota causa ad hominē restituendū in iudicio versatur & simul fructus veniūt l. ædiles etiā hoc §. sciendū ff. de ædilitio edicto, q itaq;

hic ait non debere restituere possessorem, si cùm mater peteretur iam natus fuisset, sic intelligendum est: constat eos qui nascuntur matrum conditionibus vti, quarum mox visceribus exponuntur: Igitur ante litem motam nati debent suo nomine in quæstionem vocari, vel quod idem est, pro illis debet specialiter agi, quoniam hos solos qui lite pendente nati sunt omnem fortunam matrum complecti oportet l.fi.C.de liberali causa.

Egisset) Glossa addit, scilicet post litem contestatam, quod rectè intelligas, nam post litem contestatam non opus est specialiter petere natos in lite, sed si ante litem nati deprehendantur, specialiter in quæstionem vocandi sunt d. l.fi., quod si ex iure fideicommissi petatur aliquid post moram & partus venit, quoniam restitui partus ancillarũ post moram in fideicommisso factam indubitati iuris est l. Paulus respondit l.vulgò receptum infr. hoc titul.

L. II.

Qui Rempublicam gerebat) Reipublicæ gestum accipere conueniens est pro pecuniã publicam tractare siue erogandam etiam decernere, quod hîc factũ animaduertitur. Estq; in l.2.ff.ad Municipal.

Quidam debitores cessauerunt) Fortè lapsi facultatibus, sed si hoc contingat, & ita damnum Reipublicæ attulerint, tenebitúr ne gestor Reipublicæ? distinguendum est (qui enim bene distinguit bene docet, ait Plato) si ab initio idonei fuerunt & postea labantur facultatibus, nihil vtique impu-

imputari gestori poterit, cùm sit casuale aliquem fieri pauperem, quod ille futurum prouidere non poterat, l. 2. §. si eo tempore ff. de administration. rerum: verùm si ab initio non fuerunt idonei, vtique tenebitur: addendum & hoc est, si eos debuit appellare, & non fecit similiter tenebitur, quippe bona nomina sunt appellanda ne fiant mala, vt habet commune dictum mercatorum, cuius opinionis hæc ratio redditur, quia gestor Reipubl. non solum dolum, sed & latam negligentiam, & hoc amplius, etiam diligentiam debet l. magistratus ff. de administrat. rerum.

Pœnæ nomine) Vsura quædam pœna est l. lecta ff. si certum petatur, l. si quis §. item ff. de petitione hæreditatis, & quidem pœna hîc ponitur pro grandiori & pinguiori vsura, quod manifestum fit ex l. qui sine ff. de negot. gest. non enim vsuræ simplices & communes in pœnam infliguntur, sed auctiores & communibus grauiores. Ac ex hoc loco etiam euidens est & comprobatur, quod superius diximus, quasdam vsuras pœnam spectare & ad eam referri.

Quid si seruus publicus obligationem) Quæstionis hîc est de actione vsurarum acquisita Reipubl. per seruum eius, qui vel syndicus appellari consueuit, ac dubitabatur de hoc, cùm nemo possit alteri ipso iure actionem acquirere nisi cessione, l. si hæres ff. de alimẽtis vel cibarijs &c. sed magis est vt possit seruus publicus actionem vtilem acquirere Reipubl. etiam sine cessione, quemadmodum & tutor

pupillo suo l. cùm quæreretur ff. de administratio. & pericul. vbi actio quæritur Domino per procuratorem, ratio horum omnium, quia isti sustinent in his casib. personam suorum principalium, quorum respectu valet hoc quod agitur, non dißimiliter seruus qui personam olim habere non censebatur, contemplatione tamen sui domini stipulari poterat, Institutis tit. de stipulatione seruorum in princ.

Compensationem maiorum vsurarum) Hoc loco notabimus compensatorias vsuras, de quibus supra diximus.

Eadem ferè in tutoribus) Appositè dixit ferè, non enim per omnia tutoribus competunt, quæ seruis publicis: verbi gratia, Seruus publicus gerens Rempubl. si paciscatur etiam ex nudo pacto acquirit ciuitati obligationem l. etiam infra, eod. quod non est in tutoribus. Sunt & plures casus, in quibus differant: alia enim est causa tutorum, alia eorum qui Reipublicæ negocia administrant l. Lucius Titius §. 1. ff. de administration. & pericul. tutor: In hoc tamen concordant, quod quando tutor quædam nomina mala contraxit, quædam verò bona fecit, necesse est vt simul pupillus & bona & mala agnoscat, aut in vniuersum ea reijciat, ita vt perinde sit, acsi tutor sibi negociũ geßisset d. l. cum quæreretur: Eodem modo (vt textum præsentem deducamus) si Officialis aut seruus publicus maiores vsuras propter aliquorum debitorum depauperationem vel etiam negligentiam suam, non est consecutus, ab alijs verò videatur consecutus, ita vt

sup=

suppleatur defectus aliorum, qui non sufficientes vsuras contulerunt, cogitur Respubl. vniuersorum debitorum coniunctim fortunam suscicere & permittere, vt seruus publicus pro defectis nominibus compensatiouem siue computationem adinuicem maiorum vsurarum cum defectis faciat, vel penitus contemnere, vt sibi soli is negocium gessisse videatur, at vt fiat compensatio bonæ & secundæ fortunæ cum damnis & bonis fortuitis adinuicem, humanius est vt & in societatis contractu fit computatio lucri & damni.

L. 12.

Tunc in maiores vsuras teneretur) *Huc pertinent varia incrementa vsurarum, & vocabulum sanctæ linguæ Ezechie.18.ca.* Tharbith/ein merung/zunemung/so sich etwz hauffet/vñ je lenger je grösser wirt/also heist/der Wůcher dem jenen der jn nimpt / denn des wůcherers gůt wechst/mehret sich on vnterlaß / das ein solcher Gesell der nur sechs hunder gůlden zum ersten auff wůcher außleihet/in kurtzen jaren etlich tausent vberkůmpt/ *Huc facit quod & Iudæi vsuras vocabulo ipsorum linguæ proprio Ribbis, hoc est, augmentum, superabundantiam vocant.*

Cæterùm similis cum hoc loco pactio est in l. 1. §. pacto placuit supra de pignoribus & l. cum quidam in princip. infra eod. Porrò videmus hoc loco vt & sæpissimè aliàs in Pandectis, vsuras multis conuentionum modis aggerari & insurgere,

paulo secius quàm homini pio conueniens & tolerabile videatur.

Mutatio iuris necessaria.

Per hunc titulum imò per vniuersas Pandectas magnopere obseruandum est, quod hodiè Christiana religio non patiatur, vt sine grauis damni ratione crescat vsurarum conuentio. Ac quæcunque tandem vsura proximum tuum sine causa & contra charitatem lædit, ea est censenda omnibus modis illicita: Itaque pactio huius loci redigenda est ad æqualitatem si in facto eueniat, vt tractatur in c. in ciuitate tua, & c. fi. de vsuris. Ioannes Oldendorpius tradidit hoc cùm exponeret nobis Anno 1558. d. l. 1. §. pacto placuit, &c. Est autem huius mutationis iuris probabilis ratio: nam qui aliena pecunia vtuntur, non continuò vsuras præstare tenentur, dilapso fortè aliquo tempore, nisi hoc fiat cùm iniuria & damno creditoris. Certum est enim quod qui vtitur re aliena, quæ quidem functionem seu præstationem in suo genere recipit, eius vsus æstimationẽ nisi conuenerit ab initio, nemo reddere cogitur, nisi summã & capitale: quod adeò procedit, vt si simpliciter scriptum sit in instrumento, mutuatus sum à te illud & illud, & pacto me ad vsuras obstrinxi, id non ita magnum momentum adfert, vt vsurarum debitum inducat, si tamen ex pacto solutæ sint non repetuntur l. 5. §. Impera. ff. de solutionib. excepto, quod allegetur damnum vel interesse, & simile quippiam & hoc obseruatur in Germaniæ bene cõstitutis ciuitatib. et Dicasterijs.

Et deinceps per singulas pensiones) Distinguimus pensiones per terminos, ita vt post primum terminum elapsum in sequenti termino etiam currant vsuræ, sicut in primo termino minores vel maiores, secundum intentionem eorũ qui pacti sunt.

Plures conditiones continere eam stipulationem) Nõ igitur vnam quasi deberet intelligi, post omnem cessationem, & omnium pensionum morã demum committi stipulationem, & currere maiores vsuras. Ac certè Amphibologia est in vocabulo, Singulas, quæ dicitur vitium compositionis ambiguè posita sententia, vt, Æio te Æiaciden Romanos vincere posse: Item, Crœsus Halim penetrans magnam peruertet opũ vim, &c. sed rectius & veritati magis propinquum est, in quolibet termino pensionum soluendarum currere vsuras, consideratione in singulis pensionibus facta & subducta, ac fuisse eam mentem Papiniani arbitror.

Porrò notandam venit quod hîc dicitur, vna stipulatione plures conditiones comprehendi, & per hoc plures summas intelligi.

Antinomia.

Quod sunt res, tot sunt & stipulationes, & tot sunt stipulationes quot sunt species vel corpora l. scire debemus l. pluribus ff. de verbor. obligationib. §. quoties Instit. de inutilib. stipulationib. Ergo plures cõditiones non possunt vna stipulatione cõprehendi, contra & secus, quam hîc definitũ est.

Conciliatio.

Quod dicitur tot esse stipulationes quot sunt

res, verum hoc est si hoc agatur, vt si singulæ res in stipulationem deductæ sint, & ad singulas responsum sit, sed si ad plures res vna stipulatione cõprehensas, simpliciter promissor respondeat, dare spondeo, ad oẽs tenebitur d. §. quoties, præterea si quis pecuniam, quæ in conspectu eius sit stipulatus est, vel etiam aceruum pecuniæ, non tot sunt stipulationes quod numorum corpora, sed vna stipulatio, nam per singulos denarios singulas stipulatiões poni absurdum est, d. l. scire debemus. Nec obstat etiam huic interpretatiõi l. si necessarias §. si annua, supra de pignora. actio: nam ibi dicitut de pignore, de quo vendendo conuenebat, nisi quaque die pecunia soluta fuisset, & nisi omnes dies pensionum soluendarum præterierint, non rectè potest dici pecuniam nõ esse solutã, sed hic textus loquitur de vsuris, quæ maiores debent inferri, si non singulis pensionibus solutio facta sit: quod eò pertinet vt intelligatur, non requiri ad maiores vsuras soluendas, elapsas esse & præteriisse singulas & omnes pensiones, cùm in singulis per se sumptis pensionib. conuenerit debere maiores vsuras currere nisi solutũ fuerit, quod conuenerat sua quaque die, & hæc est principalis huius capitis disputatio.

Et ideo posse euitari pœnam sequentium pensionum) Ex hoc loco manifestissimè colligitur, quod vsura pro rata temporis exigatur, & simul cùm eo crescat & augeatur, quamobrem Vlpia. in l. vbi autem §. qui sortem ff. de verborum obligationib. eum qui vsuras stipulatur incertum stipulari pronunciat.

nunciat, quo spectat quod hic dicitur, pœnam sequentium pensionum posse euitari, nempe quoniam incertum est, quanta eius summa futura sit, vtpote quæ ex temporis & vsus æstimatione & successu pendeat: ideoque augeri posßit, Interim tamen pœna non crescit ex temporis productione, siquidem vti conuenta est ita soluitur, neque adaugetur, cùm tēpus non sit causa pductionis, vel augmenti pœnalis, sed conuentio & persona ipsa contrahentis, vnde Paulus in l. si pœnam ff. de verbor. obligationibus eum qui pœnam stipulatur certum stipulari respondit, nimirum eo casu, quo tanquam pœna stipulationem ingressa est.

Finaliter oportunè dicendum, quod hoc loco comprehensa sit vna species eius quod interest, de cuius summa non integra nec quantacunque esse potest ipso iure definitum est, cùm vsura ex vsus pecuniarij diuturnitate pendeat: Interim tamen de definita summæ per singulos menses quantitate constat, Ita vt quamuis vel plus vel minus intersit, sola tamen summa præstetur de qua conuenit.

L. 13.

Qui semisses) Semisses vsuras Iustinianus dimidiam centesimæ appellat, quæ quidem vsuræ ciuiles & modicæ videbatur, & has idem Iusti. exercere permisit ijs personis, quæ medium locum obtinent, hoc est, ijs qui neque negociationem exercent, neque honorem illustrium adepti sunt, idque ob eam causam, quod hæ personæ non soleant

ex pe-

ex pecuniæ suæ vsu tantum sibi comparare commodi, quantum negociatores, aliquanto tamen amplius, quàm illustres, qui nullo modo negociationem exercent l. eos C. hoc titul. vbi eleganter vsuras tēperauit secundum personarum qualitatem & differentiam. His semißibus vsuris adæquo reditus, quos ditiores quotannis percipiunt ex suis prædijs 6. aureos de 100. Plinius lib. 14. cap. 14. ex hoc inquit vsura multiplicata semißibus, quæ ciuilis et moderata est, in C. Germanici filij principatu. Verumenimuero quod ad mentem huius capitis attinet, ita deductionem eius secundum ea quæ proponuntur instituere conueniens fuerit: Cùm quilibet poßit de suo iure recedere l. si iudex. ff. de minoribus l. pactum ff. de pactis, penes creditorem est minores vsuras recipere quàm stipulatus erat, ac ita discedere à iure suæ stipulationis per propriam patientiam, quod maximè in debito odioso, qualis est vsura, admittitur. Accedit quod Iura sint proniora ad liberandum quàm ad obligandum, l. aduersus creditorem & l. quamuis C. hoc titul.

Per multos annos) Aliqui hîc intelligūt triennium, cæterùm per multos annos intelligit non ter quaterque, sed diu, vel quod idem est, per longū tempus. Id autem interdum est per 10. interdum etiam per 20. annos, l. si cum §. stricto ff. qui & à quibus. At dicet aliquis cur hæc exceptio de minoribus vsuris receptis, aduersus creditorem locum habeat? cùm nihil vnquam de minorib. vsuris recipiēdis pactus probetur, cui respondendū, quamnis

nis verbis pactus non sit, nihil tamen obstat quo minus dicta exceptio locum habere possit, nō enim tantum quis verbis aut literis conuenire creditur, verum etiam re & facto, tacitoq; pacto, & quodcunque tandem sit quo voluntas ostenditur l. 2. ff. de pactis, hoc etiam procedit si vsura ciuitati debita fuisset l. aduersus C. eod.

Qui ex indulgentia negligit aliquid petere & alius interim percipit commodum, hoc postea diu neglectum generaliter peti non potest, vt hîc & l. mulier §. si hæres ff. ad Trebellianum. Huc pertinet, quod patientia pro facto habetur l. restitutio d. tit. sic mutuum patitur præscriptionem eiusque condictio 30. annis excluditur, si tamen personaliter originem sumpsit: Ecclesia quæ priuilegijs multis gaudere solet, in tali casu 40. annos pro se habet antequam excludatur, Harmenopol. lib. 1. Epit. titul. 3. de fiscalib. qui ex prædijs, adde l. 1. §. ad hæc C. de annali exceptione.

§. Quæsitum est) Generatè quando agimus iudicio negociorum gestorum, non tantum à gestorib. nobis debet præstari sors, sed etiā vsura, quàm ex nostra pecunia percipere potuissemus, ita est textus in l. at qui natura §. non tantum ff. de negocijs gestis, sed huic sententiæ ex hoc loco appendix adiungitur, & quasi quædam exceptio inducitur (quippe nulla regula tam generalis est quæ non habeat exceptionem, vel quæ non restringatur, vt colligunt doctores in l. promittendo ff. de iure dotium) quæ est, si Dominus non sit solitus fœnus exercere.

ertere cum sua pecunia, tūc non tenetur procurator negotiorum gestorum ad vsurarum præstationem: Et sic multum intererit, consueuerit quis apud se ociosam pecuniam retinere, an verò ad vsuras siue fœnus collocare.

Idq; ex consuetudine mandātis) Consuetudo patrisfamiliæ attendenda est l.50. §.fi.ff. de legatis j. Ita intentio cuiuslibet attendenda est c. susceptū de rescriptis. Similiter si de intellectu legis quæratur & dubitetur, consuetudo loci attendenda est, quæ facilè declarat legem l. si de interpretatione ff. de legibus. Hæc tamen consuetudo ita accipienda est, ne cum natura dissentiat c. quo iure c. mala consuetudo 8. distinctio. deci. c. ratio nulla not. primo de præbend.

Huc pertinet, statuta secundum loquendi vsum communem & consuetudinem intelligenda esse, l. libero §. quod tamen Caßius ff. de legatis 3. Bartol. Rubr. C. de nou. Cod. facien. & l. Labeo, ff. de supellectile legat. l. vt Alphenus l. amiculus l. in vulg. ff. de verborum significat. c. ex literis, de dispensat.

His addo quæstionem tanquam proximam pe dissequam, quomodo videlicet verba & rerum vocabula sint intelligenda, ad quod dicendum, quod ea accipienda sint secundum consuetudinem loquendi, vnde verba quæ iuxta consuetudinem communem præsenter dominantem & vsitatam accipiuntur, propriè accipi dicenda sunt, hoc etiam in pœnis locum sibi vendicat c. quamuis versicul. ita vsus,

de

de verbo .significa.c.quanquam 2.q.7. l.si vxor §. 1.ff. de adulter.c.1.de iniurijs in 6. vt vulgo scriptoribus persuasum esse video, Ioan. And.c.fundamenta de electio. in 6. in Nouell. gloss.c.nonnulli de rescriptis Bartol. l. libellorum §. sed si aliud in fi.ff.de accusationibus.But.& Abb.d.c.quamuis & Aret.c.per tuas,de probationibus cum similib. Huc pertinet quod & sermonis auctoritas à consuetudine superetur, testis est Fabius lib.Institut.Orator.primo, Sapidissima & lautissima hæc est materia quam degustasse tuum palatũ, optime lector, te pœnitere non poterit.

Oppositum contrarium.

Hoc loco ex ociosa pecunia vsuras petere permittitur, si dominus consueuit fœnerationem exercere, velut & in l.si fundus legatus, & l.si ita legatum est ff.de legatis 3.vbi mentio fit eius pecuniæ, quæ fœnerandi causa asseruatur tantisper, deniq; ex l.præsidis ff.si certum petatur. Idem probatione obtinetur, nam ibi præsidis prouinciæ Officiales ac tanto magis omnes reliquos, fœnebrem pecuniam exercere posse euidenter constitum est, Ergo fœnus fuit permissum apud Romanos, qualem abominationem & nostra tempestate plerique impiè tractant ad depauperationem aliorum.

Satis prægnans obiectio, respondendum tamẽ, apud Romanos fuisse licitum exercere fœnebrem, sed nunquam supra modum legitimum, qui tamen rarius obseruabatur, in quo idẽ vsu veniebat, quod quibusdam in morbis solet, quibus etsi medici sana- Solutio.

tricem

tricem manum apponere cupiant, tamen quia nullum in expedito remedium vehementiæ morbi increscentis inuenire possunt, vbi mala per longas fortè inualuère moras, conniuere ad tẽpus necesse est, ac notum est illud, Ne culpes sed feras quod mutari non potest, Ouidius:

Non est in medico semper releuetur vt æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Eodem modo Iureconsulti in hoc scrupulo eximendo luctantur, licet parum proficiant, nihilominus tamen regula Iuris Ciuilis, ad quam omnis ratio & mens, quæ est anima legis redigenda est, videlicet vsuras nunquam nisi ob id quod in veritate et non in simulata astutia interest, deberi. Addo etiam sæpè has deberi, propter honestum lucrum non nimium sed legitimum, quia sine lucro multi non possent viuere, Galli dicunt, il faut viure, quando inhiant lucris rerum vendendarum, & hoc lucrum siue veniat ex vsura siue ex mercatura, vel ex alio contractu iam non distinguo, cùm idem in genere sit, at nec in his maximè licitis modus seruatur, quamobrem licet per calliditatem & nequitiã quorundam peßimorum hominum nonnihil recessum à media virtute vsurarum deprehendatur, resistit tamen ea iuris æquitas vi qua potest vitiosis hominum moribus, neque enim si homo aliquando careat ratione, ob id homo esse desinit: Ac rectè licet Ius in hac parte toleret quædam inconuenientia, non tamen enormia, nunquam tamen approbauit neq; approbabit, in quantum ius constaturum est: iam

verò

verò cuilibet sensum communem habenti innotescit, diuersa esse tolerare & approbare, multa tolerantur quorum correctio est difficilis, interim tamen non approbantur. Ita Deus ipse multa lenitate tolerauit vasa quædam iræ apparata in interitum, non tamen approbauit neque approbabit vnquam: neque enim vult interitum hominis, sed potius eius saluationem. Sed ad ius redeat oratio nostra, licet ius videatur habere cæreum nasum vt plerique DD. aiunt, & iustitia videatur esse quod quilibet in sua causa obtinere poßit, vt, Das recht ist vns so weit als wirs bringen vnd fordern können/ *Itẽ plus valet fauor in iudice quàm tota lex in Codice,* besser ein finger vol gunst/ dañ ein handt vol kunst/ *Itẽ, dat veniam coruis vexat cẽsura columbas, Item purpurati fures non suspenduntur, sed tantùm miserè pannosi, sordidi & sordidati. Adde,*

Implicat vt muscas transmittit aranea vespas,
Sic parcit magnis lex, humilesq; premit.

Item, in plerisque iudicibus contraria iudicia inueniuntur ait Iureconsultus. Hæc & similia licet per abusum detestabilem committantur, manet tamen iustitia quæ est constans & perpetua voluntas suum cuique tribuens ius & meritum, etiamsi fractus illabatur orbis, impauidum ferient iustitiæ amatorem ruinæ: nec videndum quid Romæ fiat, sed quod fieri debeat, & Demosthenes ait, impudens est oratio dicere hoc ita factum est ideo iustum est, non enim exemplis sed legibus iudicandum

 dum

dum, l. nemo iudex C. de sententijs & interlocutionibus. Imò ius vt huic malo & pessimo hominum genio occurrere videretur, omnes vsurarios improbum fœnus exercentes ordinauit esse infames l. improbum C. ex quibus causis infamia &c. adeò non pepercit iustæ iræ luctatumque est ius optimum cum his corruptis hominum moribus: huc pertinet historia de Asellio Prætore, qui crudeliter & calamitosissimè interfectus est, cùm vellet innouare veterem legem de fœnore ampliando, vt Appianus tradit libr. 1. de bellis Ciuilibus, vnde liquido apparet, Romanos maximo odio prosecutos fuisse vsurarum auarissimos quæstores.

Sed quid accidit, optime lector, quæso attende animum nonnihil: vt in cribro (qua similitudine vtitur Ecclesiastes) multa grana bona simul cum paleis & excrementis excidunt, sic in hominum operibus, inquit ille, nihil tam bonum, quod non habeat in hac corrupta & timida natura absurdum & ineptias miserabil[illegible]: Certè nutrices pascentes pueros & infantes paululum voluptatis participant, dum quædam cibi puerilis frusta inglutiunt, quasi vsuram inde abstrahentes, quod tamen non est admodum damnosum: ita & in alijs contingit, estque ferè impossibile in his modum ad amussim seruari posse, vt non multa errata simul committantur.

Ex hoc fonte Iureconsulti concesserunt mediocre & temperatum fœnus exercere, Item medio-

diocrem deceptionem in emptionibus & venditionibus, & quidem eam naturaliter, hoc est, Iure Gentium (sicut & Iure Gentium vsuræ sunt introductæ, neque enim vnquam his caruit hominum conuersatio,) concedi affirmant, vnde & propter leuem deceptionem & exiguum erratum circumscriptionis non rescinditur venditio: cùm tamen Apostolus dicat, nemo fratrem suum circumueniat in negocio: sed præfati Iureconsulti asserunt hoc, haudubiè respicientes ad conditionem præsentis naturæ qualis nunc est dispofita, leges quippe moribus hominum accommodandæ sunt, hi verò mores non sunt tetragonici. (Quod decus, inquit Simonides Philosophus, soli Deo tribuitur) Hinc etiam corruptis hominum moribus seruiunt, nec perfectionem interiorem cordis requirunt, sicut CHRISTI dicentis præcepta, Si quis tibi alapham in vna maxilla impegerit, obuerte illi & alteram: Item, date mutuò nihil inde sperantes: Item, auferenti tunicam concede & pallium: Item, non vindicantes vosmetipsos: Item, persequentibus vos benedicite: Item, gladium neque peram habeatis in via cum similibus: Iureconsulti contra, vim vi repellere licet,

Armaq; in armatos sumere iura sinunt. Item,
Pessima fraus rectè fraude repulsa fuit,

Item ex mutuò licet stipulari vsuras: Nec tamen hæc pugnant, Christus requirit omnem suorum discipulorum subiectionem, interiorem humilitatem,

quæ est magna virtus in conspectu Dei. Item charitatem in omnibus habitote, quæ Deus est, non amara, et quæ non excandescit, omnia fert, omnia in bonam partem interpretatur, &c. Hæc sunt supercœlestia & quasi metaphysica, si quis instituat facere comparationem Iuris Ciuilis & præceptorum Dei, Ius Ciuile gubernat homines super terram, præceptum Dei auocat eos ad considerationem bonorum cœlestium & æternæ salutis, Ius Ciuile tuetur corpus, & eius defensionem mandat, præceptum Dei nutrit animam & illi medicinam promittit, non multò aliter quàm illi circumforanei medici collyria aut emplastra adhibentes, tantùm externæ humani corporis cuti, & medici verè Theorici, qui intus considerant hominis constitutionem perfectius, & causam morbi scrutantur, inter se differunt, quorum hi præstantiores & perfectiores sunt illis: ita & leges ciuiles habent se ad externam curationẽ pacis: verbum verò Dei interna vulnera curare prospicit. Est & hoc discrimen euidens, leges ciuiles quotidie mutantur, statutum Dei in æternum manet, Iura Romana in sua functione vigent nec egrediuntur eam ad tempus, seruiuntque foro negocijsq; publicis. Præceptum Domini tanquam caduca illa bona non multum respicit, admonet homines tandem moriendum, & quærenda æterna bona: ita Ius Ciuile docet diuersa, non pugnantia, de alijs rebus loquuntur leges Politicæ & de alijs Sacra scriptura, pugnantia nulla est nisi quis eam finxerit propria inscitia deceptus, quod si esset, lex inferior vt

De differẽtia sacræ scripturæ & Iuris Ciuilis.

sunt

ſunt leges ciuiles, cederet ſuperiori vt ſunt mãdata Chriſti, Iureconſulti ſpectant maximè ciuilē ſocietatem, neq; ponunt pedē in alieno loco, vt habet prouerbium. At hæc dum ſcribo venit mihi in mentem quod lector putare poſſet, me hîc Theologum agere & non Iureconſultũ, neq; eſſe facultates miſcendas: cui reſpondendũ, Plurima extare in Euangelijs Ieſu Nazareni & in Epiſtolis ſanctorum Apoſtolorũ pertinentia ad Rempub. quibus & mores exteros inſtruunt, non ſecùs ac iura ciuilia, in genere tamen, quod pàtet ex decimotertio capite ad Romanos, Imò fortius dicetur, ſi Apoſtoli iudicaſſent Iura Ciuilia & multorum Philoſophorum ſententias Politicas, quas bis terq́ue Paulus inter ſua ſcripta allegauit, ſufficere ad diſciplinam & morum honeſtatem externam, nequaquam ſcripſiſſent vlterius de rebus ijsdem, niſi quis dicere ſuſtineat: Apoſtolos non voluiſſe religioſos & Deo deuotos ita viuere, vt nullam obſeruarent diſciplinam Politicam, ſed potius poſtquam noſſent iam viam ſalutis, non negligerent etiam corporalia, quæ concernunt huius vitæ ſuſtentationem, non etiam poſtponerent eſſe participes legum ciuilium, &c. Sed quoquomodo hæc ſe habeant, illud negare non poteſt, Apoſtolos multò perfectius in genere tamen non in ſpecie, quod propriè fecerunt Iureconſulti, vitam politicam, quam iura ipſa inſtruxiſſe, memini Philippum Melanchthonem (qui Anno 1560. 19. Aprilis Vuitebergæ mortuus eſt,) meum olim præceptorem honorandum recitare dictum Pauli,

In hoc sitis ambitiosi vt propria faciatis, & addere, si Augustus Romanorum Imperator legisset hoc dictum, iudicaturum eum fuisse, prolatum hoc & dictum est polititi & sapientis viri. Ac quidem pro more habent Apostoli, quod postquam docuerunt homines de vita æterna, instruant eos quoque in conuersatione morum, honestate vitæ & disciplina: Noui & alium Doctorem Iuris, qui edidit commentarium in Psalmum quendam, in quo habetur, quàm speciosi sunt pedes Euangelizantium, &c. vbi affirmat (interim nulli derogo sui arbitrij libertatem) si non extarent libri Iureconsultorem posse Rempublicam gubernari ex solis Epistolis Pauli: quod profectò non est valde malum opinari, noui hominem quod sit candidus & doctus. Vtinam nostrates Iureconsulti nunquam obliuiscerentur in Iuris Ciuilis interpretatione moralia dicta adhibere ex sacris scripturis deprompta, rarius enim impingerent & certius loquerentur: Et quidem hoc maximè fieri velim ex Decalogo, verißimum quippe, quod nullus & perfectior & rectior sit Iureconsultus, quàm is qui reuocat leges Iureconsultorum & negocia incidentia quasi examen instituens lapidis Lydij ad Decalogum rectè & moraliter intellectum, dixit hoc non semel Hieronymus Scorpius professor olim Iuris celeberrimus in Academia Vuitebergensi. Huc pertinet & illud, Leges non dedignantur sacros Canones imitari. Ac sicut Papa indiget Imperatore in secularibus, ita Imperator

rator Papa in spiritualibus, vt Canonistæ testantur, sed ad rem.

L. 14.

Hæres rogatus) Adiunge l. 58. §. hæreditatem ff. ad Trebellianum l. si marito in fin. infra soluto matrimon. l. 3. §. nonnunquam infra eod. Est autem summarium argumentum huius legis, quod post moram natus debeatur ex fideicommisso. Quanquam autem grauis sit disputatio, an in reditu & fructu sit partus, vt Paulus hîc insinuare videtur quod sit in reditu, alij negant esse in in fructu, cùm omnes fructus hominis causa producantur & non econtra, quare in fructu nequit esse, sed hoc poterit reconciliari inspectis ipsis negociorum circumstantijs, quis, quid, vbi. Ego quidem arbitror rectißimè dici posse legibus euidenter suffragantibus, explosis friuolis contrarietatibus: quod partus ancillarum in reditu sit, non tamen in fructu iuxta l. in pecudum, inf. eod. quæ res faciet etiam d. l. in pecudum clarius intelligi.

Ante diem fideicommißi cedentem) Quæritur hîc quando dies fideicommißi cedat, ad quod præmitte intellectui, præuiæ cuiusdam inspectionis gratia, quod duplex sit aditio hæreditatis, vna qua non acquiritur dominium, vt in fideicommissarijs hæreditatibus, quæ restitutioni subiacent, & ibi hæres qui adit facit fructus suos, donec veniat dies restitutionis, qua de causa hîc definitur quod partus ancillarum & fructus ante diem fi-

deicommiſſi cedentem non reſtituantur. Altera eſt cùm ſideicommiſſarius recipit hæreditatem in eãq́ plenis dominij velis tranſit, ideoq́ fructus qui poſt acquiſitum ex cauſa ſideicommiſſi dominium ex terra percipiuntur facit ſuos l. Herenius Modeſtinus 42. infra eod. Cæterùm cùm plerique hanc rem miſè intricauerint & næ intelligendo fecerint, vt nihil aut parũ intelligerent inde alij; maneamus nos cum legibus rectè intellectis, & errantium interpretationes ſeu potius peruerſiones, miſſas faciamus: veritas autem & certitudo quæſtionis in hoc loco eſt, quod fructus non veniant aut ingrediantur fideicommiſſariam hæreditatis reſtitutionem, niſi facta ſit mora, aut niſi quis ſpecialiter fuerit rogatus vt fructus reſtitueret, l. fideicommiſſariam ff. ad Trebellianum, quippe ex voluntate teſtatoris acceßio fructuum & vſurarum venit & debetur, quamuis mora facta nulla ſit l. 3. §. nonnunquã ſupra eod.

Cùm in fideicommiſſo reſtituendo moram feciſſet) Mora nihil aliud eſt, quàm iniuſta dilatio eius quod fieri debet, & hæc committitur à die & tempore quo debuit aliquid fieri, vel quod idem eſt per diei appoſitæ lapſum, interdum etiam per litis conteſtationem committitur, vel etiam per eius cui debetur denunciationem congruo loco & tempore factam, purgatur verò generaliter per obligationem, depoſitionem & conſignationem. Huius moræ effectus eſt ſolutio vſuræ, vel eius quod intereſt in contractibus bonæ fidei, huc referenda eſt quaſi mora,

nam

nam rectè, dzo inquit, vsuras deberi ex mora vel quasi mora, cùm & illæ ex quasi contractibus debeantur & descendant: nunc intellectis præmissis præsentia cognoscantur: si nulla mora sit facta in restituendo fideicommisso ante diem eius cedentem partus editus & quidem ante moram non est restituendus, secus si mora facta sit, vt & Paulus hic respondit.

L. 15.

Argumentum) Vsuræ fructuum non debentur, agit igitur hic textus de maximis vsuris, quas vocant accessiones accessionum, commoda commodorũ l. 2. §. si indemnitas, ff. de administration. reũ &c. Item fructus fructuum, siue vsuras vsurarum quas Germanici mercatores den vmbschlach appellare consueuerunt, quales vsuræ in vniuersum sunt prohibitæ l. fi. C. eod. Cæterùm inuestigant DD. subtiles rationes cur hæ vsuræ sunt probibitæ & interdictæ, sed rectius est eas rationes cõtemnere, quàm anxius indagare, dicamus nos simpliciter ideo eas esse probibitas, quia nimis magnum onus est & intolerabile pondus earum, accedens proximè ad perniciem hominũ, sicut accidit olim Romæ & in prouincijs, vbi plerique cogebantur ad præstationem 4. Centesimarum, hoc est, 48. solidorum siue aureorum Vngaricorum singulis annis pro centũ, & quidem has vsuras tanta immanitate & diritate exigebant, vt Scaptius procurator Bruti (quem etiam Deus puniuit præmisso in Philippis genio) Senatũ Saliminium in Curiam incluserit, donec quinque

Senatores fame perierint: ex quo exemplo manifestum fit, quod captiosæ & immodicæ vsuræ sint crudeles hominum vexationes. Audi sequentia (horresco referens monstrum horrendum ingens) legimus Athenas temporibus Solonis per vsurarios sic fuisse oppressas & exhaustas, vt non modo fundi & agri aliáque bona immobilia fuerint supra modum fœnore grauata, sed etiam ciues coacti fuerunt se vendere vsurarijs, eorumque mancipia fieri, Ibi Solon vt huic malo medicaretur, prohibuit, ne quis qui liber natus esset se alteri venderet aut manciparet, & ne quis de fundis aut bonis immobilibus vsuras caperet. Sic scribit & Aristoteles lib. 6. politicorum Oxylum insigni virtute principem, constituisse & mandasse, ne fœnus daretur de fundis aut bonis immobilibus: ecce correctionẽ: cognosce iam aliam, truculentam, historiam si placet, Vrbanus Regius narrat Psalm. 15. morem esse alibi (locum non addidit credo quod ibi sit vbi ille vixit nempe in Saxonia) quod vbi mutuatarius non expedit solutionem debito tempore, creditor vsurarius curet depingi in charta quadam debitorum & fideiussorum nomina cùm familijs, vnum in forma latronis, alterum in specie suspensi alicuius patibulo veluti furis, tertium alligatum Asino vel cani, eamque chartam sic enormiter depictam facit affigi valuis templi publicis in dehonestamentum eorum, & semel inquit, &c. vnnd einmal ließ ein wůcherisch Weib einen sölchen brieff anschlahen mit schendtlichen gemeld / vnnd

zuuor

zuuor schreib sie an den Leser. Mein innige bedt zu Gott dem Herrn/ vnnd wes ich guts vermag zuthun/vnnd geben euch schrifftlich Klagende zu erkennen/ꝛc. Wie ein grosse andacht war hie/ gleich hernach schmehet sie mit worten/ vnd gemeld etliche namhafftige ehrliche leut/ als weren sie Diebe / Mörder/ Meineidige/Ehrlose/wissentliche böszwichter. *Audi adhuc optimè lector Historias dignissimas, de vsurarijs excellentibus, Alexander Magnus pro suis militibus per vsurarios exhaustis magnoque ære alieno pressis dissoluit æs alienum, cuius summa 9870. talentorum fuit, hæc est, supra nouem quinquaginta Tonnas aureorum vt nos vocamus, quas vsurarijs debebant, inde moderatus est tales vsuras tanquam enormes. Det Deus & nobis. Alexandrum aliquem aut Solonem qui vsuris istis immanibus modum ponat, easque impediat. De Romanis itidem testantur Historiæ, cùm Romæ aliquando vsura etiam excreuisset & inundasset, multorumque ciuium facultates deuorasset, duos: videlicet Valerium Publicolam & M. Rutilium, constitutos fuisse, vt vsuræ modum statuerent: hi ipsi soluebant vsuras partim ex ærario publico, aut fisco vrbis, partim de bonis aut facultatibus ciuium obæratorum aut debentium, fortassis ideò, vt seditio & tumultus aliaq; incommoda & pericula vitarentur & p̄caueretur. Paulò post autem Genutius Tribunus constituit, ne vlla prorsus vsura exerceretur, Item cùm Papyrius adolescenti cuidam quem per vsuras mancipium suum*

fecerat, vim inferre vellet, lex lata eſt ne fœneratores quenquam in ſeruitutem redigerent, Item cùm vſura ſic increuiſſet, vt ſeditio inde orta eſſet, & populus ſeceſſionem faceret, dictator Hortenſius itidem coactus eſt vſuræ modum ponere, de his lege Liuium. Sic & primus Cæſar Iulius, cùm comperiſſet nimium increuiſſe & inualuiſſe vſuram, ibi conſtituit vt omnia quæ ſupra ſortẽ accepta erant, deciderentur & decederent de ſumma capitali ſeu de ſorte. Ex hac cauſſa Ariſtoteles rectè ait Ethicorũ lib. 4. Vſurarios eſſe αἰσχροκερδεῖς, *hoc eſt, turpem quæſtum exercentes, vſurarius enim exceſſiuus accipit, vbi iure nihil accipere poteſt, & plus quàm accipere debet.* πάντες γὰρ οὗτοι ὅθεν οὐ δεῖ λαμβάνουσι, καὶ ὁπόσον οὐ δεῖ. *Hæc enim ſunt ipſius verba, vnde meritò Germanis* ſtulrcuber *vocantur, hoc eſt, raptores ſedentarij, qui domi & in ocio & quiete agentes aliena deprædẽtur & rapiant. Hæc Ethnici iudicarunt, quanto magis id decebat agnoſcere Chriſtianos? Vetus tamen hoc malũ eſt, vt cognoſci poteſt ex 5. apud Nehemiam, vbi ſcribitur quod Iudæi poſt remigrationem ex Babylone, egeſtate preſſi, etiam centeſimas dare coacti ſint fratribus ſuis. Ex quo loco manifeſtum fit, quod errant Iureconſulti illi qui aſſignant Socino explicationẽ & deprehenſionem centeſimæ, cùm ea in vſu fuerit Nehemiæ, Nehemias autem longè antè fuit q̃ Romani & Alexander imperauerunt, nec dubitari poteſt, quin centeſimæ exactæ ſint temporibus Nehemiæ, nam textus id palàm docet, vbi dicit*

Nehemias, Duces qui ante me fuerunt, grauarunt populum acceperuntq́ ab eis panem & vinum, tandem etiam argenti quadraginta siclos. Faciunt autem quadraginta sicli decem aureos. Audi ampliorem improbitatem, narratur nunc accipi singulis nundinis Lipsensibus decem de centum, hoc est, triginta aureos singulis annis de centum, quidam addunt & Neoburgenses nundinas, sic numerarentur 40. de centum. In diesem fal mach wol vsura τόκος heissen/Germanicè gebürt von wegē des gewechs/ita vsura currit citiùs quàm Heraclitus, iuxta prouerbium, vnde & dicunt fœneratores, laß kein gelt stilligen. Hi verentur die Veneris comedere carnes, at absumere aliorum facultates per vsuræ exercitium illicitum & properatum, apud hos flocci penditur: Interim nihilominus gloriantur & splendescere cupiunt, adeò vt ij qui mutuum accipiunt ab illis ita sint obstricti vt nihil tolerabilia ausint ijs denegare, ac per hoc diues & pauper contrarij sunt, licet Dominus vtrunq; fecerit, sed diues pauperibus imperat seruitq́ creditori debitor, & denique qui mutuum accipit seruus est fœneratoris, ait Salomon in prouerbijs cap. 22. fastuosi sunt fœneratores, volunt insuper rogari, fingunt se summam beneuolētiam præstare, cum alijs dant mutuò sub vsuris, cùm preces sint magnum preciū, quod illi non existimant, quippe illorū manus sunt occulatæ credunt quod vident. Illi sunt supplantatores, sie vberseтzen einem anderen heimlicher weiß/quia se venditant, palliant & ornant se va-

rijs modis, seque bonos & honestos iudicant, & tales haberi volunt, suaque bona opera & officia prolixè deprædicant & ostentant, ne conspici possit, quò boues (quos caudis in antra sua, vt Cacus ille Pœticus inuersos præposterè trahit) sint abducti. Tales ponendi sunt inter falsos martyres, vt inter Manichæos, Arrianos, Donatistas, Pelagianos, qui mirificè & supra omnem modum suam patientiam summam & incredibilem, & crucem atque afflictiones grauissimas. Prædicauerunt & iactauerunt quod scribit & D. Augustinus de Donatistis. Ita prohdolor verissimum est, quod quilibet nunc cogitat & solicitis computat articulis, ad meum vsum, ad meam vsuram, mihi commodius est, propria premunt aliena non curantur ait Pindarus, recipe ex corrupto & integro, Rips raps/ *quid pro quo vt circumforanei medici & stelliones faciunt: ecce nunc peruersissimas numorum extorsiones contra omnem mediocritatem, quia hæc non sunt intelligenda promiscuè, sed de excessu.*

At vt redeat oratio mea ad textum vnde digressa est: vsuræ vsurarum ob hanc quoque rationem remotæ sunt, quod nullus modus vsurarum possit seruari, si tales concederentur, & esset quodammodo pœnam pœnæ exigere, quod foret inhumanissimum & alienissimum ab hominum vtilitate, non enim est (quod contingit in talibus vsuris) afflictio addenda afflicto iuxta l. Senatus censuit ff. de accusationibus. Quippe qui debet ciuiles vsuras pendere satis superq́; prægrauatur, vt ea de causa

ad grandiores & inciuiliores vrgeri minimè debeat. Item si vsuras vsurarum petere liceret, aliquis duos cibos ratione ciuili caperet, & duæ causæ lucratiuæ in eundem hominem concurrerent quod iura prohibent, §. si res aliena Instit. de legatis. Idem etiam bis exigeretur vt fit in actione vsurarum: Attamen quamuis grauissimum hoc esset, hæ vsuræ vsurarum exigebantur ante constitutionem Iustiniani l. vlt. C. eod. redigebantur enim in sortem stipulatione interposita. Item exigebantur vsuræ vsurarum in condemnationem deductarum l. 1. C. Theodo. de vsuris rei iudicatæ, quod etiam Iustinian: sustulit l. 3. C. de vsuris rei iudicatæ.

Restabat quærendum an fructuum vsuræ exigi possint, & an in iudicium veniant: ad quod breuiter dicendum, fructuum creditorum vt frumenti &c. vsuras peti posse, sed in his quid iuris seruetur ex superioribus manifestum est: Hoc igitur in loco de ijs quærimus qui quasi accessiones in iudicium veniunt. Totum hoc quale sit percipies si intellexeris fructus aliquando peti vt accessiones, & tunc vsuræ non debentur ex fructibus, aliquando verò vt sortem & tunc vsuræ debentur ex fructibus. Ita facit difficultatem quod interdum fructus vt principale considerantur, interdum vt accessorium & pro hac diuersitate fructuum vsuræ debentur vel non debentur.

Fructuum perceptorum vsuras deberi ante actionē hæreditatis illatam expressè ait Papinianus in l. hæres ff. de petitione hæreditatis, Ergo vsuræ fru- **Pugnantia aduersatiua.**

ræ fructuum debētur secùs quàm iam decisum est.

Conciliatio.

Manifestum est ex l. item veniunt ff. allegeto titulo, fructus perceptos hæreditatem facere ampliorem, & ob id in corpus sortis redigi, quo fit vt non reputentur esse in accessione, sed transeant in summam principalem, & ipsi sorti incorporentur, suntq́ quasi propria pertinentia, quod cùm ita sit innotescit fructuum vsuras non peti, sed aliquid quod respectu sortis debeatur. Idem sensus resultabit, si quis propositum textum introspexerit: denique vt planè dicam quod sentio, hi fructus non tanquam accessorium vulgare petuntur, sed tanquam id quod sorti inseparabiliter adiunctum sit, quod si id voces inseparabile accidens cum Dialecticis docendi causa non valde erraueris, sunt enim dicti fructus quasi quædam proprietates, quibus ipsæ res cùm sunt soluēdæ non exuuntur, sed simul cum ipsis veniunt & quasi pedissequæ comitantur.

Secunda Antinomia.

Pensiones domus fructus sunt & accessiones l. pdiorum, & l. vlt. C. de petitione hæreditatis, vbi & vsuræ pecuniæ, & agri fructus, & ædium pensio legitima augmenta vocantur, interq́ se comparantur, & quidem huius pensionis vsuræ petūtur, Ergo & fructuum vsuræ cùm pensiones sint fructus d. l. prædiorum.

Solutio.

Vsuras pensionū ex mora deberi constat l. præses, C. locati, l. cùm quidam, §. ex locato, infra hoc titul.

titul: quod verò ad factam obiectionem attinet, ita distinguendū est: quod aut domus pensio sors principalis sit, veluti cùm quis domum locauit, vnde vsuræ facta mora velut ipsius sortis rectè & ordine exiguntur, aut est accessio, vt cùm verus hæres ab eo qui pro hærede gessit, & domū quæ summa principalis est & eius insuper locationem, quæ quidem in accessione est, repetit, quo casu vsuræ peti nequeunt, non magis quàm agri fructuum, quia domus pensio in fructu est, denique pensiones quidem vocantur fructus similitudine quadam, non penitus propriè, quatenus videlicet fructus pro omni fructu accipiuntur: Interim verò pensio sæpè pro ipsa sorte accipitur, vt iam declaratum est in hypothesi. Ex quibus de facili intelligitur, quod pensionum vsuræ si tardius pensiones illatæ fuerint, peti possint: quibus ita præmissis stabit adhuc conclusio, quod vsurarum vsuræ peti nequeant, nec debeātur, adeò vt si iudex aliquem in vsuras vsurarum condemnauerit contra leges & sacras constitutiones eum facere Modestinus responderit l. præses, ff. de re iudicata.

Huc referenda est probibitio Anatocismi quem regenerationem, nouationem quæ fiebat vel stipulatione vel iudicato, renascentiam vsurarum quasi implicationem gradatim factam & texturam subinde crescentem velut partu quodam fœcundam recte appellaueris, de hoc passim historici multa tradunt: eum Gallici practici exponunt renouellemēt d' vsuræ quando on conuertit les arrierages en sort principal.

L. 16.

Liberalitatis) Liberaliter donanti non debet esse onerosa sua munificentia, vnde liberalitatis & donationis vsuras postulare auarissimum & iniquissimum est, huc pertinet prouerbium Germanicum, Einem gegeben pferd sal man nicht ins maulschen/quo & Galli crebrò vtuntur, dicentes, au cheual donnè ne luy regarde enla bouche. Eadem de causa & humanitus est constitutum donatorem tantùm condemnari oportere in id quod facere potest l. Diuus Pius ff. de regulis Iuris. Ac generaliter personis, quæ in id quod facere possunt damnantur, non totum quod habent extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda ne egeant, l. in condemnatione d. titul. l. si extraneus ff. de iure dotium, l. si quis crediderit ff. de pactis l. maritum ff. soluto matrimonio. Ac tantùm abest, vt libertatis vsurarum præstatio exigi non possit, vt debeant illis decerni alimenta de publico, qui ob munificentiam erga patriam suam patrimonium exhauserunt & ita facultatibus lapsi sunt l. 8. ff. de decurionibus. Hoc iam non est timendum, quia talis liberalitas nusquam inuenitur, ac melius est, vt demus ne nobis sit penuria, & ita consulere & prospicere per retentionem bonorum & non per repetitionem, quod non est gloriosum. Proxima huic quæstio est, quid si bona donatoris & promissoris liberalitati non sufficiant neque soluendo fuerint? Item si donator factus sit pauper? Respondendum, Prætor moderabitur Iurisdictionē iuxta normam

tamen

tamen l. 9. ff. de pollicitationibus, vt interim non dicam futilius esse promittere aliquid vltra vires suas, sed tamen hic error tolerandus est, cùm sæpè homines amplius de suis bonis sperent quàm in ijs est, teste Iustiniano. Porrò quod hîc dicitur liberalitatis non deberi vsuras cum grano salis (vt dici solet) & sapienter accipiendum est: nam si quis pollicitus fuerit Reipublicæ opus se facturum vel pecuniam daturum in vsuras quidem confestim non conuenitur, vt hîc, sed si moram cœperit trahere, vsuræ accedent l. 1. ff. de pollicitationibus. Hæc tamen vera sunt si quis ex caussa promiserit, secùs si sine caussa, nam tunc perficere libertatem non cogitur quasi promissis diues quilibet esse queat: Estque quasi nudum pactum & instabilis promissio temerè facta, vt Herodotus scribit, sine firma promissione & caussis validis, non manent firmæ & stabiles promissiones, quod adeò verum est & obtinet, vt quamuis promissio sine caussa facta, geminata sit, actionem tamen ciuiliter non pariat, contra quam ab interpretibus existimatum est l. si certis annis C. de pactis. Proinde vt explicatius hæc intelligi possint, dicendum, quid hîc propriè per liberalitatem comprehendatur: sciendum itaque per liberalitem in Rempubl. intelligi non quidem legatum, quod hæres necessariò dat l. si legatum ff. de operibus public. sed munificentiã inter viuos quam is qui donat conferre in Rempu. liberaliter intelligitur.

§. Cùm vsuræ) Emptor in mora non est sol-

 uendi

uendi precij cui res tradita non sit vt fructus percipere poßit, ac nemo vltra id quod accepit obligatur l. rogasti §. 1. ff si certum petatur, l. si tibi 10. ff. de pactis, quemadmodum legatarius non cogitur subire onus iniunctum sibi à testatore nisi soluto legato l. eum cui ff. de fideicommissarijs libertatibus, ac placet inquit Iurisconsultus non cogi eum reddere quod non accepit l. mulier §. sed enim ff. ad Trebellianum.

Qui fructus non percepisset) Sicut æquißimum est emptorem tradita sibi re precium numerare venditori, & si non numerauerit vsuras insuper precij dependere l. Iulianus § ex vendito, ff. de actionib. empti, ita econtrariò, iniquum esse hoc loco decidittur vsuras ab eo exigi qui fructus non percepit, nã vsuræ non diuelluntur à fructibus, & ab vsu rei veluti fructus non separantur à fundo ex quo proueniunt, quando de debitione eorum quæritur, vnde & alibi fructus ius fundi dicuntur l. si à reo §. si à reo ff. de fideiussoribus & manda. Præterea fructus ipsis rebus acceptò feruntur à fruendo dicti l. in fideicommissariam ff. ad Trebellian. sic & fines fundo magis quàm personis adiudicantur l. 4. ff. finium regundorum. Ex quibus satis euidenter apparet, quod vsuræ non poßint exigi aut requiri ab eo qui fructus non obtinuit, cùm vsuræ vicem fructuum referant & meritò non sint ab illis separandæ l. vsuræ inf. eod.

Nunc finaliter hîc quærendum, ante traditionem rei venditæ vt vsuræ precij non currant: attento

de

de igitur quod aliqua ratio post traditionem rei venditæ emptorem subijcit vsuris nondum soluto precio, fit hoc propter fructus rei venditæ, hæc eadem ratio sufficit re nōdum tradita ne vsuræ precij præstentur, nam fructus quidem pertinent ad emptorem ex die contractus etsi traditio non interuenit l. fructus l. penult. C. de actionibus empti, si tamen precium sit solutū: sed hoc est sine distinctione admittendum: Itaq; tecum computa in hunc sensum, si pars precij numerata sit pro ea parte fructus pertinent ad emptorem ex die contractus argt. l. vl. §. vlt. ff. de fundo dotali, si totum soluerit ex die contractus solidi quoque ei fructus debentur, alioqui si nihil soluit, fructus ad emptorē non pertinebunt, quia compensantur cum vsuris precij.

L. 17.

Hæc lex celeberrima est, & facilè in hoc titulo principem locum obtinet, eius quoad primum §. deductio secundum ea quæ proponuntur ita iacet & qualificata est, aliquis ex stipulatione promiserat si minores vsuras non solueret suo & oportuno tempore, maiores se deprehensurum. Postea committitur stipulatio, reus stipulandi vult sibi expediri vsuras maiores ex tempore contractæ super illis stipulationis, reus promittendi econtrariò conqueritur, petitq; tempus moræ considerari, Diuus Marcus consultus & interpellatus per libellum & viam supplicationis ita rem componi posse significat, mittit scriptum reo promittendi & supplicanti (quicunq; ille fuerit siue Petrutius siue Ioannis Andreæ frater

ter iam non curo) quod non teneatur soluere vsuras ex die cõtractæ stipulationis, sed ex die cessationis, & vt hoc poßis obtinere, accede (suadet) præsidem prouinciæ, qui poterit hoc quod in controuersia est, ad iustam exactionem vsurarum exigere, sed hæc constitutio liberum relinquit præsidi arbitriũ componẽdi talem disceptationem, & non est definitiua aut determinata constitutio, non enim omninò determinat casum cùm referatur hoc quod quærebatur ad arbitrium præsidis, ideoque ad infinitum siue non finitum modum excedit, neque certam & determindtam sententiam reddit, qua de causa eam Paulus Iureconsultus interpretatur, inquiens, crescere debere vsuras duntaxat ex die cessationis quod apertè & expreßè Diuus Pius non rescripserat.

Quincunces vsuras) Diuidatur totũ quod nomine Aßis venit in vncias, vt in iure deprehenditur, itaq; erunt quincunces quinque vnciæ, vnde quincunces vsuræ erunt quando quinque aurei vel solidi vel etiam floreni, prout conuenit, de centum petuntur & dantur, poteris & ita definire: quincũx vsura est cùm quina in singula 100. quotãnis persoluuntur. Cæterùm quicunces vsuræ fuerunt leuiores hábitæ & æstimatæ, harùm fit mentio in l. à filio, & l. sequent. ff. de alimentis & cibar. legatis, has etiam Persius vocat modestas Satyr. 15. differunt autem hæ vsuræ à semißibus, quæ paulò grandiores sunt iuxta mentem Vlpian. in l. si legatum ff. de operibus publicis.

Præsi-

Præsidem prouinciæ adi) Præsidis vocabulum generale est l. 18. & 9. ff. de officio præsidis, simile est in l. nam id ita ff. de adoptiónibus, vbi idem Diuus Marcus rescripsit, quod desideras an impetrare debeas, æstimabunt Iudices: quod an reste fiat videndum, & videtur præoccupare hunc textum, eò quòd nihil prosint hominibus prægrauatis huiusmodi litigiosis vsuris supplicationes oblatæ principi, cùm iterum ad Iudices re non definita deuoluantur, & ad præsides prouinciarum, quos & ante facilius conuenire potuissent, quàm ad supplicationes principales cum difficultate decurrere, verùm hoc non multum onerat præsentem inspectionem, ac conciliari potest ex l. vbicunque causæ, & l. omnia quæcunque ff. de regulis iuris, neque enim quæ cognitionem forensem desiderant per libellum vel supplicationem expediri possunt, rectè igitur ad præsidem à principibus hæc referuntur, quod & hodierná tempestate apud plerosq; principes Germaniæ obseruatur, vt vidi ex facto.

Ad modum iustæ exactionis rediget) Hoc loco quædam attingenda sunt de officio Iudicis circa vsuras, & quomodo de ijs inter litigantes statuere debeat, Item quomodo creditor vsuras & suum interesse pbet, & quatenus iudex eius probationi credere remq; moderari debeat. Primū illud certū est, iudicem facere oportere distinctionē eorū quæ proponūtur, cū itaq; vsurarū petitio materia sit odiosa & pœnalis ciuiliter, molliēdæ erūt potius vsuræ

per sententiam iudicis quam exasperandæ, argumento legis interpretatione ff. de pœnis, & cùm iura sint proniora ad absoluendum quàm ad condemnandum in dubio minores statuere debet & leuiores, vt sunt quincunces, quanquam autem cuilibet sua iura debeant esse illibata, nec poßit esse iudex mitior ipsis legibus, tamen probabili ratione asperitatem vsurarũ mitigare poterit, quod non est insolitum humanitatis intuitu, ad quam iura imprimis oculum quoties aliquid dubitationis incidit, dirigunt l. 1. in prin. versicul. humanitate suggerente, ff. quando appellandum sit l. fi. ff. de senten. paßis. l. in omnibus quidem l. ea quæ l. semper in obscuris ff. de regulis Iuris, l. non tantùm ff. de appellationibus. Asserendum itaq; quod iudex circa vsurarum dijudicationem debeat esse clementißimus secundũ ea quæ iam adducta sunt in medium.

Consequens his est vt creditor in petendis vsuris fidem faciat suæ intentionis, ac quemadmodum iudex non debet esse strenuus & durus in decernendis ijs, eodem modo creditor in exigidis, maximè si aliquomodo eius indemnitati consultum sit, quia non potest queri si nullum damnũ patiatur l. postliminium ff de captiuis & postliminio reuer. Probet itaque creditor conuentionem stipulationis vsurariæ intercessisse, quod vel literis, instrumentis, testibus, vel etiam religione in supplementum probationis, alijsq; argumentis veritatis faciem referentibus obtinere poterit, nam ex ipsis sumi probationes oportet l. fi. in fi. ff. ad Municipal. quippe in petitione

titione vſurarum & eius quod intereſt, ſpectanda eſt veritas à iudice, nec admittendum ſi quis finxerit intereſſe, vt plerunque facere ſolent lucriones isti qui vndique & vndique quod eſt viliſſimum inhiant quæſtui arg. l ſi fortè in fi ff de caſtrenſ. pecul. Ac in ſumma aſſumptio eius quod intereſt, quæ non eſt veritatem eius quod intereſt non perimit argt. l. 6. ff. ad Municipal. Ac plus eſt in veritate quàm in opinione, item veritas rerum erroribus geſtarum non vitiatur, ſed hoc debet probari, quia veritas non prodeſt in foro niſi doceatur, vt dicunt DD. in l. Duo Titij ff. de teſtamentoria tutel. debet etiam in his ante oculos haberi dictum cuiuſdam Theologi: Vbi ius Chriſti ſeruatur ibi certum eſt nullam exerceri vſuram, & quàm Chriſtianus homo non eſt Ethnicus aut Iudæus, tam etiam non eſt vſurarius.

§. Diuus Pius) Senſus eſt ſecundum ea quæ proponuntur, quod is qui recipit minores vſuras per longum tempus, ius & facultatem maiores petendi cùm quidem hoc potuiſſet, deperdit. Ita & ille qui non poſcit aut non exigit vſuras firmiorem amicitiam acquirendi gratia apud eum à quo petere potuiſſet, amittit ius petendi debito tempore petitionis excluſus, ſibi igitur imputet ſuam negligentiam & vanam credulitatem in hoc caſu, huc pertinent verſus Ouidij:

Ne citò credideris quantum citò credere lædit,
Exemplum vobis non leue Pocris erit.

Et nerui ſunt ſapientiæ diffidere, teſte Cicero-

ne, quippe sæpe nos fallit spes gratiæ & fauoris acquirendi aliquid ab alio. Aulicum illud est, wer auff gnad dienet/der wirdt mit barmhertzigkeit belohnet.

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Item pedica nimia fiducia, & quidem amicitiæ spes incerta maximè est,

Omnia vertuntur certè vertuntur amores,

adeò verum in plurib. est quod ait Theognis Græcus Poeta:

πολλάκις ἀνθρώπους ἐξαπατῶσ' ἐλπίδες.

Quare certum incerto non præferamus spem precio ementes (loquor iam ciuiliter non Theologico more) sed ad ius: huc pertinet propriè locus Celsi dicentis, non posse eum repetere qui dedit ea spe quod se ab illo qui recepit remunerari existimaret, vel amiciorem eum sibi futurum opinione falsa deceptum l. 3. §. sed etsi ff. de condictio. causa data. Et si quidem postea ille dicat, ideo intermisi petere, quia cogitabam & sperabam me ob hoc illi gratiorem & acceptiorem futurum, quod non est factum, ideo iam volo petere & habere quod meũ est, non audietur, non magis quàm si vellem allegare ad rescindendam transactionem defectum causæ impulsiuæ, vel finalis quàm habebam in corde vel quàm cogitabam cùm transigerem, non proderit dicendo cur seruarem transactionem cùm hoc non sit factum quod mecum perpendebam, arbitra-

bar

bar me illi successurum, &c. l. si maiores Cod. de transactionibus.

§. In tacito fideicommisso) Tacitum fideicommissum est, quod in fraudem legis alicui confertur, species autem & casus ita iacet, quidam disposuit in extremis & reliquit cuidam summam aliquam pecuniæ qui eam capere non poterat fortè ob conditionem personæ, quæ legibus prohibetur aliquid ex Testamento capere, hæres verò dixit ad testatorem, ego secreto dabo illi, & suggeram quoquomodo licebit, quod cùm non rectè fiat in pœnam istius tacitè initi & suscepti ab hærede fideicommissi lucrum est hæredi auferendum, cedetque & accrescet fisco per in rem actionem, quam habet ex tacito fideicommisso, l. imperator noster, ff. de iure fisci. Ac sanè talis hæres qui tacitam fidem interposuit, & incapaci restituit prædonis loco haberi consueuit, l. prædonis ff. de petitione hæreditatis, qua de causa etiam hanc malitiam non impunè fert, sed punitur in falcidia l. hæres ff. de his quibus vt indignis, &c. ad quod & in hoc loco iureconsultus respexit, dicendo emolumentum vsurarum auferetur hæredi siue ipsius vsuræ vtilitas adimitur ipsi, quamuis alij hîc per emolumentum vsurarum intelligant vsuras vsurarum, quod tamen an veritati consonum sit vide leg. cum qui ff. de his quibus vt, &c. vbi prorsus eadem facti species proponitur, vltra hoc de fideicommis-

fideicommisso tacitè relicto consule l. non intelligitur eo. quod si dicamus fructuum usuras in hoc casu concedi, fiet hoc respectu perfidi, & fraudulenti, vafri, clancularij fucosiq; hæredis, qui quasi furti nec manifesti insimulari posset, idque in pœnam quandam, nam alàs diuus Seuerus benignè respondit fructus duntaxat deberi non etiam eorum usuras, quod si satis constaret hoc loco per emolumentum usurarum intelligi fructuum usuras clice retur pugnantia inter decisiones diui Seueri, & diui Pij, & tunc dicendum esset diui Pij responsum, vtpote durius emendatum esse per decisionem clementiorem diui Seueri d. l. eum qui, &c. vt ita potius emendationem iuris admittamus quàm pugnãtiam; Ego tamen putarim hîc per usurarum emolumentum simpliciter intelligi usuras ipsas, nam ista sæpe loquuntur auctores, vt si dicerem commodum usuræ pro usura ipsâ commoda. Horatius, Odora canum vis, pro canibus odoris: Item, Magnã peruertet opum vim, pro magnas opes, Item & in legibus ipsis insidiæ ædificiorum, &c. Grammaticalia hæc sunt, quib. tamen destitutus iureconsultus non erit suarum rerum satis certus. Estque superior locutio, petita à Græcis auctoribus, vt annotauit Georgius Fabritius in sua syntaxi græca. Iam uerò notissimum est iureconsultos sæpe loqui more græcorum, qui aliter sentit sine dubio nodum quærit in scirpo, vt in pauca rem conferam.

§. Si pupillo) Solui non potuit) notemus hîc vtilem regulam quæ est, neminem delinquere & puniri

puniri paratum aliquid ad quod tenetur facere, si impediatur, vt si quis velit soluere creditori suo, & non possit propter absentiam eius ille vsuras neutiquam præstabit, quod præstituto tempore non soluerit, nam in hoc casu censetur mora inculpata l. pecuniæ cir. fi. infr. eod. similiter si per stipulatorē stet, quo minus accipiat non committi pœnam decisum est, l. arbiter calendis ff. de receptis arbitris. Ac in summa qui voluit soluere creditori suo nec potuit, pro facto conatus eius (saltem ad euitandam pœnam) habetur l. in omnibus causis ff. de regulis iuris: Nec interest siue à lege siue ab alio obiecto, quod euitare non potuit impediatur quis, vnde nemo incusare eos potest qui hoc non fecerint quod etsi maluerint minimè adimplere lege obuiante valebant, l. 1. in fi. C. de annali exceptione li. 7. titul. 40. sed videndum an his ratio iuris & verba constitutionum refragentur vt subiunctum est.

Antinomia.

Apponitur quod fideicommissarius potuerit sicut ex constitutionibus principum permittitur debitori, compellere adolescentem ad petendum sibi curatorem & sic solutionem expedire l. prætor ait: §. sed hodiè ff. de minoribus, debitor igitur potest facere vt pareat conditioni cogendo adolescentem ad petendum sibi curatorem, ergo verè potuit soluere l. qui potest ff. de regulis iuris, contra quam hîc determinatum est.

Conciliatio.

Debitor

Debitor vt dictum est tenetur hoc quidem facere, si commodè & sine magno grauamine hoc poßit: verùm hîc principaliter aduertendum quod diximus adolescentem, nam pupillum adhuc omninò existentem cogere ita non potest, vt in hoc præsenti casu, vbi igitur diuersitas subiectorum apparet, diuersum ius dicendum est esse, vnde dictum Physicum quod tamen & iureconsultorum in his & similibus esse potest, propter conuenientiam sententiæ, natura subiecti variat actionem in causa: vt, Limus vt hic durescit & hæc vt cera liquescit, ego sic accommodò, natura & qualitas negocij variat responsionem & decisionem in iure.

Nec simile videri) Facienda est igitur comparatio inter pupillum siue minorem & absentem Reipublicæ absens Reipublicæ non potest prætendere moram sibi factam esse cùm ei solui non potuerit, nec etiam ob id si alleget lucrum se amisisse quod abfuit, quodque tardius sibi solutum sit, in integrum restituetur, interim tamen indemnis præstabitur, licet lucrum non capiat, quippe vbi quis ratione absentiæ suæ desiderat lucrum captare cùm alterius damno & detrimento neutiquam audiendus est, cùm prætor omnibus modis prospiciat, ne alterius causa ex alieno facto fiat deterior, l. 1. in princip. ff. de alienatio. Iu. mut. diuersum deciditur in pupillo, qui etiam ob neglectum lucrum restituitur in integrum, vt sequitur.

Etiam

Etiam in his succurri quæ non acquisiuerunt) Ex his verbis colligimus quod minores iuuantur, & in integrum restituuntur, non tantum cùm de bonis eorum quid minuitur, sed & in lucro, hoc est, cùm occasione acquirendi non vtuntur, & ita lucrum omittunt, quod tamen olim controuersum fuit, Exempla ponuntur ex Pomponio, vt si legatum repudiauerit, non dicit se hæreditatem, nam legatum non potest non esse lucrosum, hæreditas potest esse damnosa, l. si hæreditas ff. mandati: Notabile itaque quod quando minores non acquisiuerint cùm potuissent acquirere, nec lucrati sint cùm potuissent lucrari re bene acta, mereantur in integrum restitutionem, quod est diuersum in absentibus Reipublicæ causa: ex quo loco prægnans Priuilegium minorum resultat, & euidens redditur.

Non propter lucrum petentium) Alià habetur ratio lucri, alià moræ, ex qua alteri damnum accrescit, l. si quis §. si quis C. de Codicillis, vbi lucrum casuale non consideratur, l. si sterilis §. cùm per venditorem ff. de actionibus empti. nam prætor id agit ne damnum faciat actor, non vt in lucro versetur, leg. damni. parag. penultimo, ff. de damno infect. ac ne quis iniquum lucrum aut damnum sentiat, præses prouinciæ prouidebit. leg. 2. parag. 2. ff. de officio præsidis. Item interesse eius videtur

videtur qui damnum passurus est, non qui lucrum facturus l.72.ff.de furtis. Fulgeat igitur ex hoc loco axioma quoddam Iureconsultorum, quod vsuræ non propter lucrum, sed propter moram ingeratur: Iam attende animum si placet econtrariò & vice conuersa, in fœneratione excessiua vsura propter lucrum infligitur, quippe illa os quæstum & lucrum solummodo exercetur tantumq; de lucro contendit, illudq; captat ex solo pecuniæ vsu, itaque quoties quis quærit & venatur occasionem nimij lucri ex pecunia quam alij mutuò dat, fœnerari dicitur, fit tamen hoc propter obligationem. Proindè perpendendum quod hîc dicitur, vsuræ non infliguntur propter lucrum &c. intelligi hoc debere à nobis principaliter, quia accessoriæ etiam propter lucrum infliguntur, neque tamen ob id hic titulus stabilit aut inuitat hirudines istas sanguinis humani fœneratores nimios qui plebis comedunt corpus & ossa Dei, vt Psalmus inquit, Ecce fœneratorem, aliquis petit mutuò ab altero 100. pro quibus promittit 5. flor. aut Ioachimicos, fœnerator non vult 5. flo. aut daleros sed deposcit 5. malderos tritici boni siue siliginis, & tamen is audet se iactare Christianũ, statuit ille vsuras ex suo capite non ex legibus O Malheureuse facon de viure, vbi sunt contraria facta dictis nulla fides esse ibi vera potest, debebat hoc valere quàm plurimum, nulla sit in nummis esca dolosa tuis. Sed satis est iræq; datum iustuq; querelis, ad propositum: Quanquam autem fœnus quoq; sine distinctione causarum in stipulationem vsurarum

rum

rum deducatur, & deinceps petatur vt negari non potest, in l. 9. ibi sed fœnus vberius supra cod. & alijs locis, tamen cùm hoc non possit licitum modum vsuris tanquam terminum præstitutum transire, tolerabile est propter vtilitatem hominum. Cùm enim Ius sit ars boni & æqui, vbique se accommodat ad publicum vel priuatorum commodum: Hinc etiam promiscuè vsurpantur vsura & fœnus apud Iureconsultos, legitimè tamen.

Antinomia.

Vsuræ quoque propter lucrum infliguntur, nam interesse quod hodie loco vsurarum petitur consideratur etiam ex lucro amisso, l. si commissam ff. rem ratam haberi, &c. innotescit idem ex definitione interesse, Item tam lucri quàm damni habetur ratio, l. ait prætor, §. hodie ff. de minoribus.

Conciliatio.

Quando est certum vel vt vocant radicatum lucrum (loquor autem more DD. qui hæc vocabula vsurpant) tunc etiam lucri habetur ratio quia de tali lucro amisso idem quod de damno iudicatur, vt in l. venditor ff. de actionibus empti. ratio lucri habetur, quod emptor percipere potuisset ex operis hominis empti, quia cùm illæ operæ sint certæ, certum lucrum adferre potuissent. Huc pertinet & illud, quando causa trahit originem ex lucro licet quandoq; damnum adferat, lucratiua dicitur, & ob id lucri ratio subducetur, vlterius etiam vt sciatur quando lucri ratio habeatur, inspicienda est causa lucri remota & proxima, nam sæpe causa

proxima venit consideranda, sæpe etiam propter litigantium dissidium causa lucri remota perpenditur, quæ cùm ita sint, assumendum quod hîc dicitur, vsuras non propter lucrum infligi, &c. id necessariò intelligendum esse non principaliter infligi propter lucrum, sed bene reductiuè & per consequentiam, nam hoc pacto etiam propter lucrũ infliguntur, vt patet ex præfatis.

Sed propter moram non soluentium) Notandũ est hoc loco, vsuras quæ propter morã petuntur nomine tantum non re ipsa odiosas esse (sicut & multa alia sunt nomine tantum odiosa non reipsa & in veritate, & ab omnibus Christianis sine Dei offensione peti posse, sæpissime autem rescriptum est ex mora vsuras deberi, l. 1. in princip. ff. de pollicitationib. Ita mora & tarditas iudicum punitur l. vnic. cir. fi. C. vt omnes iud. tam ciuil. hinc Vlpia. cùm quæreretur an emptor redhibitorio iudicio vsuras precij consequeretur, respondit, quoniam id quod sua interesset deberet accipere, consecuturum l. illud sciendum ff. de Ædilitio Edicto, Papinia. autem in l. Lucius §. 1. ff. depositi cùm in deponenda pecunia conuenisset, quoniam beneficium in suscipienda pecunia præstitit, ob eamq́ causam deponentis non intersit eum vsum fuisse pecunia, rationem vsurarum non esse habendam affirmat, quod si vti incipiat vt iam deponentis intersit, veluti si de reddendo admonitus morã fecerit, vsuras deberi. Et quia ex mora nascitur plerũq; id quod interest, quod & iure naturæ debetur cùm nõ est Sophisticũ, rectè vsuræ petũtur ꝑpter morã, cuius rei ra

tio est, q̃a solidũ non minus non soluitur quantitate quàm die, cùm magnum commodũ sit in tempore l. solidũ ff. de solutionib. ita minus soluit qui tardius iusto soluit, l. si cui in fi. ff. de verbo. obligatio. cui nõ est absonũ quod Seneca prouerbiali figura dixit, bis dat qui cito dat, & Lucianus Græcus ille:

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ
πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Sed iam ad textũ reuertamur, Paulus hîc ait, propter moram vsuras deberi, ex quo aliqui ratiocinati sunt à contrario sensu ducto argumẽto (vt vel ex hoc loco satis superq́ reueletur, quàm fallax esse soleat hoc genus argumentationis) vsuras legitimè et iustè peti nõ posse sine mora, sed illis non subscribimus, vtpote verba Pauli non satis intelligentib. nã certè eorũ verborum non est ea sententia, vt vsuræ nõ nisi post morã debeantur, sed illa potiùs vt cùm ob morã debitoris creditor damnum sentiat, ob hoc damnũ vsuras poßit exigere non tamẽ ob moram, sed ob id quod sua interest se carere vsu suæ pecuniæ præter tempus, qua de causa Vlpia. in l. si verò non remunerãdi §. si mihi ff. mandati, clarè respõdit, procuratorem qui sumptus in rẽ Domini fecit vsuras consecuturũ nõ tamẽ ex mora, verũ Iudicem æstimare debere si exegit à debitore suo quisq́am et soluit, cùm vberrimas vsuras cõsequeretur, quod ipsum in negociorũ gestorum contractu Paulus respondit l. at qui natura §. contra quoq́ ff. de negocijs gestis et l. in contraria inf. eo. quin etiã tutor si in rem pupilli aliquid impenderit, non quæretur an mora facta sit, sed omninò vsuras repetet, Idem

meminí Franciſcum Duarenum alibi ſenſiſſe.

His ita ſuccinctè præmiſsis & agitatis perſpicuum debere eſſe cenſemus, vſurarum non tantum propter moram, ſed etiam propter id quod intereſt rationem haberi: quinimo fortius dicetur, quotieſcunque creditoris intererit vſu ſuæ pecuniæ ſine vllo moræ reſpectu eas deberi.

His affine eſt quod in mora includimus & vſum, nam propter vſum rei noſtræ, quàm alius habet vtplurimum vſuræ infliguntur, incluſiuè igitur intelligas moram cum vſu, quod eò pertinens eſt & rationi ſeruit, cur de iure ciuili licitū ſit paciſci vſuras à legibus definitas, leg. eos Cod. hoc titul.

Mutatio Iuris.

Quia vſuræ vocabulum propter immenſum abuſum factum eſt odioſum ex mora hodie non petuntur vſuræ, ſed intereſſe. Vnde ius Canonicum non concedit petitionem vſurarum, ſed eius quod intereſt c. cōqueſtus ext. de vſuris & c. eijciens 88. diſtinct. hinc damnum vel lucrum ceſſans petitur non vt vſura, ſed vt intereſſe, l. ſocium qui ff. pro ſocio: & ita obſeruari in Curia Romana, vel in Rota (vt vocant cuius doctiſsimæ deciſiones extant) tradit Gloſſ. l. 1. Cod. de ſumma Trinitate & fide Catholica, & hoc contingit auctoritate iuris diuini vt allegatur, quod ius Canonicum ſequitur.

Hoc loco conſtituunt (inter quos vnus eſt Ioannes Bello. Tholoſanus in Antinomijs ſuis)

contra-

contrarietatem inter ius ciuile & Canonicum, iure ciuili sunt permissæ vsuræ tam ex dispositione Digestorum quàm ipsius Codicis, at Leuit. 15. & Lucæ 6. reprobatæ videntur. Nunc ego sic dico. Ius Canonicum non rectè in hac parte emendauit ius ciuile (quod pace tam sacri iuris mihi dicere liceat) quia in vniuersum eas damnat & loquitur generaliter nimis, neque quicquam ferè amplioris declarationis addidit quàm sacra scriptura, cùm illud certum sit & nos probauimus superius vsuram licitam esse, si modum non excedat, sicut quemlibet alium contractum lucratiuum. Sed mihi religio est largius de hoc loqui, ne impingere videar in ius canonicum, quod putatur sacerrimum. In hoc tamen conticescere non possum propter conscientiam veritate captiuam, quod vsuræ verus modus tam retineri potuisset in vsu hominum, quàm petitio eius quod interest, sed inscitia quorundam hoc euenit, qui cùm animaduerterent vsuras passim propter abusum damnari & malè audire, etiam verum earum vsum perperàm neglexerunt, & deuoluti sunt ad vocabulum, Interesse, quod tamen non tam sæpe iureconsulti antiqui vsurpant, sicut vocabulum vsura. Similiter accidit multis alijs bonis rebus vt vocabulo Sophista, quod olim habuit honestam appellationem, fuitque is quem vocamus nunc ein Schůlmeister/ *sed cùm Magistri illi Sophistæ abuterentur sua auctoritate per subtiles nimium disputationes, contemptum à populo paßi sunt, sicut & hodie fit, Ita*

quidam Magistri Alciato quondam doctiss. obstrepebant, quos ob id in suis Emblematib. olidas matulas nominat. Habent certè plerique tales calumniatricem naturam rerum vsum non satis intelligentes, vnde & nos dicere solemus, es ist ein del Gophysterey / ita prohdolor rei bonæ maximus sæpe abusus conspicitur: adde ad hæc l. ea est natura ff. de verborum significat. sed ad propositum, de superiori quæstione fortius dicetur: quid prodest scriptis in vniuersum vsuras abolere, cùm quotidianus vsus nullam abolitionem patiatur, leges autem debent seruire vsui hominum, non ideis Platonicis, nescio vbi volitantibus aut sub orbe Lunari, aut Hemicyclijs solaribus, aut sub sphæra Saturni planetæ, qui suum cursum fortè intra triginta annos absoluat, aut etiam perfecto Oratori Ciceronis in abstracta virtute aut beatitudini hominis Aristotelicæ, aut perfectioni Anabaptistarum, &c. Consultius itaque erat verum vsum vsurarum restaurare, quàm in vniuersum protrudere eas in exilium, perfectum Oratorem nusquam possumus inuenire, nihil verò magis & facilius deprehendere quàm exercitium vsurarum toto mundo frequentissimum, rectiùs Iustinianus verum vsurarum vsum asseruit. Nunc itaque cùm consuetudinis antiquissimæ sit vsuras exercere, conspicitur esse de iure non scripto quo continetur consuetudo, dare mutuũ sub vsuris, Item stipulari vsuras, &c. Nec valet obiectio consuetudo etiam antiquissima, cùm est iniquiss.ma debet aboleri, nec de cæ-

tere

tero tenere, quippe non est criminosum mediocrem vsuram exercere, cum tempore & persona, hoc est, obseruatis circumstantijs vt nos asseruimus superius copiosius. Si igitur nō vis viuere cum vsuris in mundo, tempus est vt exeas mundo, & te eximi eo cures, non aliter mundus regitur neque fortè regetur, quæ cùm ita se habeant, satius est legitimum vsum vsurarum innouare potius quàm penitus eas auersari, cum hoc sit superuacuum & inutile. Ecce enim, Basilius Imperator olim penitus conatus est vsuras extirpare, & ne minimum quidem earum nomine exigi passus est, sed præfatus non eualuit, prohibuit ad tempus, Leo eius filius successor restituit eas (error est in Nouella quadam quæ est apud Harmenopolum, 3. Epitom. titul. 7. vbi corruptè legitur eam Nouellam esse Leonis, cùm sit Basilij patris Leonis) Ac vera sunt præcedentia, quia sine vsuris non viuitur, teste Iustiniano, fuerunt vsuræ veterum tempore, sunt etiamnum, & erunt donec erit talis hominum natura.

Aspice nunc igitur quis vbiq; sit vsus in orbe,
Tempora quæ fuerint, qualia sunt, & erunt,
Nec citò damnaris modicè damnabile forsan
Censuræ grauis est res ea, crede mihi.
Perfer, & hæc ipsi permitte, quod omnia fato
Fertq; refertq; Deo, sic moderante vices.

§. Eos qui) Vsuris obnoxios esse) Adminis

ſtratores generaliter non præſtant vſuras eius pecuniæ quàm ex detrimento ſoluunt l.conſtitutionib. & l.Lucius §.Paulus reſpondit ff. ad Municipalem. Quare hic locus neceſſariò intelligendus eſt, ſi pecuniam debeant non ex detrimento vt ſi fortè habuerint apud ſe reliquatam ex adminiſtratione, quod idem vt ſequitur obſeruatur in operum curatoribus, ſcilicet ſi pecunia apud eos remanſit, vt operum curatores ſint in hoc ſimiles rerum adminiſtratoribus, contra quam à gloſſ. exiſtimatum eſt, in verbis in operum curatorib. vide l. Impp. ff. de adminiſtratio. rerum &c. Proinde quales fuerint curatores operum intellectu promptũ eſt, ſi ſcias quod curator generaliter accipiatur & diuerſis rebus & negocijs accommodetur, ita curator Reipu. qui Græco vocabulo logiſta appellatur l. 3. C. de modo mulctar. Sic Petreius libro 5. Sympo. apud Plutarch. vocatur curator certaminum.

Antinomia *Etiamſi negligenter dederint vſura eis remittitur) Hîc negligentia impunè fertur, at in l. 35. ſupra ſi certum petatur, dicitur, quod debitorum nomina ſi fiant deteriora, periculum eſt adminiſtratorum negligenter exigentium:*

Solutio. *ſed nulla eſt pugnantia l.35. allegata loquitur de ſorte, at hic §. de vſuris, quæ ex ſorte reſultant, notum eſt autem aliam rationem eſſe ſortis, aliam vſurarum, nam ſi dederint pecuniam negligenter redemptoribus, & ſors perierit pro ea tenebuntur, ſed non pro vſuris ſortis, negligentia quidem punitur quod ad ſortem & ſolidum ipſum, ſed non quo ad vſuras, exemplũ poteſt*

poteſt poni in hærede qui cum debeat ſoluere legatum, & circa eius ſolutionem fuerit negligenter verſatus, tenebitur l. 48. §. fin. ff. de legatis 1.

§. Si dies) Vſuras Reipubl.) Perquam rudis & craſſa eſt opinio eorum qui hoc loco exiſtimant ſtatuarum vſuras exigi debere, & hoc per verba Pauli ſignificari, quod non eſt. Qt venia eorum id dixerim: ſentit enim Paulus vſuras pecuniæ ex hæreditate debitæ qua ſtatuæ comparandæ ſiue emendæ erant, deberi, quia ſerius hæredes eas comparauerant. Denique Vlpiani verba apertiſſima ſunt in l. ſi legatum ff. de operibus publicis, qui textus omnino concordat proprieque huc ſpectat, quo intellectu vſuræ non ipſorum corporũ, ſed quantitatis & æſtimationis in debitum veniunt, vnde quod Papinianus ait fructuum vſuras deberi, de precio quo fructus æſtimati ſunt intelligendum eſt. l. hæres, circa ſi. ff. de petitione hæreditatis. Ac ita exponit Imperator in l. hac edictali. §. his illud C. de ſecun. nupt. l. vni §. ſi autem C. de rei vxoriæ actio.

Antinomia.

Videtur præfatum infirmari poſſe per l. liberalitatis ſup. eod. vbi liberalitatis vſuras non exigi debere reſcriptum eſt, iam notum quod hic defunctus liberaliter legauerit emptionem ſtatuarum, notum eſt etiam quod hæredes ſunt eiuſdem conditionis qua defunctus fuit, ſequitur ergo quod nec ab hærede poßint exigi vſuræ liberalitatis quam defunctus per legatum in Rempub. exercuit.

Solutio.

Ab ipso testatore non exigerentur vsuræ si viueret, quia in persona eius liberalitas est, sed hæres vt legatum præstet liberaliter in Rempub. collocatum, ex quasi contractu non ex donatione sua obligatur §. hæres Instit. de obligationib. quæ ex quasi contra. vt ita hîc videre liceat, hæredem non semp eodē iure vti quo defunctus potuit, quod & in alijs quibusdā causis obtinet vt periti practices norunt.

Vsque ad tertiam centesimæ) Iureconsulti cùm tertiam centesimæ nominant trientem significant, l. hac edictali §. his illud C. de iure dotium l. vni §. cùm autem C. de rei vxoriæ actione. Porrò vsura centesima est as vsurarum, & centesimo mense æquat sortem, vt 12. de 100. quotannis, singulis mensibus circiter 1. floren. Iam tertia centesimæ erunt 4. floren. vel aurei prout conuenit. Cæterùm ratio vsurarum vsq; ad centesimam legitima vocatur ab Vlpia. l. tutor qui repertorium §. pecuniæ ff. de administratio & pericul. tuto. Trientes tamen & humaniores & leuiores sunt, Marc. Tulli. Cicero lib. 5. & 6. epistol. ad Atticum, non binas solum sed quaternas centesimas se Ciliciæ Proconsule Salaminios debuisse narrat, quæ cùm nimium exhaurirēt homines proposito edicto se centesimas obseruaturū cū anniuersario Anatocismo edixisse, quē Iustinia. nouello et meliori iure fieri seuerè ꝓhibuit l. vl. C. eo

Hoc loco paulo altius duxi examinandam diuisionem vsurarum secundum intentionem D. Iacobi Cuiacij viri doctissimi mei olim præceptoris in Academia

demia Franciæ Bituricensi, dicimus igitur quod vsura centesima sit quæ in centenos aureos quotãnis reddit duodenos, hoc est, in singulos solidos quotannis tres siliquas, hoc est, 12. minas secundum hanc definitionẽ, vsura vnciaria est quæ in centenos reddit quotannis singulos, sextans est quæ in centenos reddit duos, quadrans quæ tres, triens quæ quatuor, quincunx quæ quinq;, semis quæ sex, septũx quæ septem, bes octo, dodrans nouem, dextãs quæ decẽ, & qui hanc exigunt nuncupantur Decatalogi, hoc est, qui quotãnis exigunt decimã partẽ sortis, deũx quæ reddit vndecim, postrema & summa est As scilicet cẽtesima, quæ duodecim reddit: fuit & hæc cẽtesimæ definitio, q̃ in cẽtenos reddit quotãnis duodenos semis, vel quæ in singulos solidos reddit tres siliquas quotãnis, id ostẽdit Nouel. 130. et breuiter Græci 53. Basil. tit. 5. tres siliquas in singulos solidos, & secundũ eã definitionẽ triens vsura est quæ quotãnis in cẽtenos reddit 4. solidos & 4. siliquas, vel in singulos solidos vnã siliquã, vt definit Nouel la Leonis 83. & Nouel. Iustin. 32. & interpres C. Theodosiani in tit. de vsuris, quadrãs erit quæ reddit quotannis in centenos tres solidos, & tres siliquas, semis quæ sex solidos & sex siliquas, Bes quæ in 100. reddit 8. solidos octo siliquas. Postremò vsura centesima est, quæ in centum quotannis reddit sedecim semis & siliquas 4. nam libra auri cœpit esse 72. aureorum l. 5. C. de susceptoribus. In libram autem auri vsura centesima hodie reddit 12. auctore Harmenop. Itaq; in centenos reddet vt dictum

ctum est etc. confirmat id Canon 17. generalis Synodi Nicænæ in hanc sententiam, vt nunc sunt libræ solidorum 72. ita olim erant centenariæ & centum solidorũ vsuræ, quæ & ob id dicitur cẽtesima, quod de sorte centum exigerentur, rectißimè, nam vsura triens dicitur, quæ est centesimæ triens, quadrans, cẽtesimæ quadrans: igitur quadrantes vsuræ hodie erunt quæ olim trientes, hoc est, quatuor solidos in singulas libras et excrescentes quædam siliquæ: In eodem Canone 17. quidam videtur vsuras hymiolias accipere pro semißibus, sed malè, videntur potius accipiendæ pro beßibus quæ olim erãt legitimæ & moderatæ, sed tamen eis eodem Canone Clericis interdicitur, (quia cupidus & vsurarius non debet ordinari,) Pes autem vsura ad centesimam habet rationem septuplam (vt hoc probari potest ex doctrina Euclidis de proportionibus) siue hymiolium hoc est, octo ad duodecim, semis autem ad centesimam habet rationem duplam. Malè etiam quidam hymiolias pro sesquicentesimis, hoc est, cùm in centenos quotannis 18 solidi & totidem siliquæ pendun tur iuxta secundam definitionem, secundam tertiam cùm in centenos redduntur 24. semis & 8. siliquæ, quæ vsuræ septuplo centesimis grauiores sunt, at in eo Canone 17. vsuræ semioliæ nominantur quasi leuiores centesimis, vt nec centesimas nec semiolias, hoc est, leuiores accipiant, hæc hactenus partim ex sententia supra memorati auctoris.

L. 18.

Secundum ea quæ proponuntur casus ita formandus,

mandus, quidam emit agrum à non domino, is pactus est vt precium sibi restitueretur si euictus ager fuisset, euincitur tandem, emptor vult sibi à vẽditore qui non erat dominus restitui preciũ cum vsuris à die numerati precij vsque ad euictionem & amißionem agri, & per reliquum tempus quod intercurrit, post rem iudicatam, sed Iureconsultus respondet, si conuenisset ab initio de precio reddendo non deberi vsuras precij nisi à tempore euictionis et post rem iudicatam, incommodum etiam medij temporis scilicet prioris & à lite contestata vsque ad sententiam damnum emptoris respicere.

Quamuis emptor) Potuit emptor controuertere & dicere: ego sum damnum passus, huius agri fructus mox restitui aduersario, cùm mihi mouisset controuersiam, quis igitur mihi istos fructus refundet? sed iam responsum est, incommodum medij temporis penes emptorem residere debere, eiusque damnum respicere, atqui fortius praeoccupabitur pro emptore, bonae fidei emptor dicitur, ad quem ea res pertinet, vt textus est ad verbum in l. si postulauerit ff. ad l. Iuliam de adulterijs: sed adhuc puto dicendum emptorem debere pati hoc detrimentum, cuius rei illa mihi videtur ratio esse, quod is qui cum alio contrahit vel est vel esse debet non ignarus eius conditionis cum quo contrahit l qui cum alio ff. de regulis Iuris. Accedit quod hîc non euidenter dicatur emptorem illum fuisse bonae fidei, quod in dubio propositum videtur, quae cum ita sint. Quaestionis amplius non

erit, quin rectißimè euincatur ager à bonæ fidei, vel quolibet alio emptore, si is venditoris non fuit, plærunque enim eadem causa esse debet emptoris quæ fuit auctoris. Item non debeo esse melioris conditionis quàm auctor meus, à quo ius in me transijt, l. inuitus, l. in his, l. qui in ius ff. de regulis Iuris. Denique accedit considerandum, quod fortè aliqui fructus percepti ab emptore compensantur cum vsuris precij, vt sæpè contingit.

§. Post traditam possessionem) Pone alicui venditam esse rem & quidem traditam, sed precium non dissolutum, ibi emptor tenetur cui tradita possessio est vsuras præstare non numerati precij, sed hoc intelligendum secũdum id quod sequitur, quod in depositi causa non fuit, Ergo à sensu contrario, si in depositi causa fuit, vsuræ non debebuntur, quod etiam circumspectè accipiendum est. Etsi enim pecuniam obsignatam in depositi causa habueris, tamen si id non est testatò & solemniter factum vsuræ non cessabunt, iuxta intentionem l. 2. Co. eod. l. si autem tardius ff. de pignoratio. actio: sola tamen oblatio in iudicio facta, sufficit, extra iudicium non, quia tunc etiam consignatio (aliunde discas quid sit consignatio, consignare literas Cicero dixit) requiritur, secundum Bartol. in l. item §. qui paratus in princip. ff. quibus modis pignus vel hypotheca, & l. si rem alienam §. fin. ff. de pignoribus, & hæc clausula accommodetur l. 1. in fi. inf. eod.

At videtur hîc nullum fuisse cui solueretur, cùm dicatur cui successor incertus fuit, ideo non debere currere vsurarum debitum, allegabatur, vt in l. pecuniæ in fin. & l. cùm quidam, §. si pupillo, sup. eod. ad quod dicendum, cùm de vsuris in præsenti casu quæritur, non hoc proponi an per creditorem eumdemque venditorem steterit, quo minus solutum non est, sed an per debitorem, hic debitor idemque emptor neque obtulit neque solemniter cum depositione obtulit, ideo debet præstare vsuras medij temporis, nec est quod causetur venditorem defunctum habuisse incertum successorem, Ergo soluere non potuit precium: cui tergiuersationi potius quàm honestæ excusationi opponendum, quod potuerit solemniter deponere: manifesti igitur iuris est ea de causa, si venditor re tradita sit defunctus, cùm emptor in mora esse cœpisset precioque vteretur, quamuis postea esset incertus successor, ideoque offerre non posset (vt hoc erat inconstans dicere) quia tamen semel vsus est, etsi nunc quidem vti desinat vsuras debebit, ac vt ait Paulus, sufficit semel moram interuenisse, vt vsuræ perpetuò debeantur l. Titia. 87. ff. de legatis 2.

L. 19.

Præsens lex quãuis in varias & scrupulosas quæstiones verborũq; anxietates distrahi videatur, aptissima tamẽ est in sequentẽ sensum, quãdo petitur argentũ, vestimentum, scyphus, aut alia similis res, vt actus, iter, seruitutes, q̃ in iure cõsistũt, q̃ritur

num

nũ earum rerum etiam fructus vel vsuræ peti possint? & videtur quod non, quia argentum & enumeratæ species non possunt fructificare, cùm sint sterilia & infœcunda sui natura: ergo cùm hæc petuntur, fructus eorum vel vsuræ peti nequeunt, propter iam dictam rationem. Verumenimuero licet hæc speciose dici videantur, vera tamen simpliciter & strictè non sunt, & propter hoc dicimus, iuxta rationẽ dubitandi & decidẽdi, quod supradictorum specierum fructus peti possunt, si vocabulum fructus non nimis angustè intelligamus, sed pro commodo, vtilitate, emolumento, & quolibet compendio, eò quod locatis ijs rebus mercedis nomine aliquid peti potuerit, & ita commodum aliquod percipi, nec enim insulse quis commodum alicuius rei fructũ eius vocauerit: Hæc fuit mens & sententia hoc loco Iureconsulti quam & explicauimus, à quo dissentire graue est mihi, attamen ita angustè & nimis exactè petere vsuras ex suprascriptis speciebus ego pro mea tenuitate subsisto, si quis alius volet huius loci patrocinium & defensionem suscipere, per me vtique licebit, in quo facilè illi cedam primas.

Huc propriè pertinet mos Antwerpiæ vsitatus, vbi vestes & alia similia oppignorantur, & de quatuor daleris, oder von eim pfont flems/ *vt ibi vocãt singulis septimanis accipiunt vsuræ vice stoeifferum Brabanticum, & qui hanc vsuram exercet vocatur* der Lombard/ *fortè vt audiui, quod quidam Itali ex Lombardia primi Antwerpiæ*

piæ exercuerint illam vsuræ speciem. Est tamen hoc indultum illis à Cæsare per sauuogarde(vt dicitur)quod & insigne eorum monstrat: quæ quidem species vsuræ non videtur modum excedere, cùm auctoritate publica sit concessa.

Quod ad proprietatis nomen attinet)Si respicias abstractum non concretum, de quibus Dialectici tradunt, & hîc rectè illa vocabula accomodantur, quorum significationem si aspexeris, te bone Lector, non pœnitebit propter euidentiorem intellectum, non solum in hoc negocio præsenti, verùm etiam in vniuersis Pandectis & præcipuè in doctrina de seruitutibus.

In fructus perceptos condemnari) Non solum perceptos, sed etiam qui honestè percipi potuerunt l. fructus non modo ff. de rei vindicatione, & ibi notata consule.

§. Præterea, si vestimenta)De stricto Iure etiam ex prôpositis speciebus fructus computantur, iuxta decisionem & mentẽ Ælij Galli, interim tamen conticendum non est, prædictas siue præfatas species raro locari, vt quotidianus vsus ostendit, estq́; humanius vt non locentur, fortassis olim hoc inusitatum, sed mores & tempora nostra hoc non patiuntur, quo pertinet, laudamus veteres, sed nostris vtimur annis, & certè quidem vtendum est enim foro, fallit in magnis ciuitatibus.

§. Iter quoque)Africanus ait in l. cùm essent in fi. ff. de seruitutibus rustico prædio. seruitutis fructum constitui non posse, quare nõ absque causa

hic dicit, cuius vix est vt fructus vlli æstimari possint, sed non est dubium quin possit exclusa iuris subtilitate, si quis commodum in fructib. collocet, & numeret, præsertim si hoc consuetudo temporis approbet, adde l. loci corpus §. in confessoria, ff. si seruitus vindicetur.

Huc referenda est Antichresis cùm aliud pro alio datur propter vsum, sicut ex vsu vestimentorum pecunia, ex vsu pecuniæ esculenta, in quo genere & modo etiam exercitium quasi vsuræ instituitur, etiamsi plerique in contrarium nitantur, quorum tamen auaritia nihil moueor. Quanquam autem Antichresis vt ex Etymo vocabuli conijcere licet referatur ad pignus quod ita datur, vt eius vsum & fructum pro vsuris sibi creditor imputet, Alcia. lib. dispunctio. 2. cap. 3. & l. si ea pactione C. de vsuris l. si is qui §. si ἀντίχρησις ff. de pignorib. &c. tamen si quis paulò generalius hoc vocabulum vsurpauerit non impinget, nam ad verbum denotat Antichresis aliquid pro alterius vsu, siue hoc sit etiam loco pignoris non subtiliter est inquirendum. Consule Harmenopol. 3. Epitom titul. 5. quod autem Antichresis habeat annexam quasi vsuram sic patet. Si prædij mei vsum concessero vice pecuniæ creditori meo erit vsura, nam etsi directè non detur pecunia loco vsuræ, sed aliud, nihilominus tamen est quasi vsura, cùm hoc ipsum reipsa & effectu tam potentia, quàm actu in vsuram cedat: vnde Germanicæ fœminæ sunt vituperandæ, quòd accipiunt ab alijs, propter datam mutuò pecuniam

cuniam donaria variarum rerum ad culinam pertinentium, vsuram tamen interim execrantur, quasi verò non sit idem in effectu, (pessimæ rei coloratum pallium circundant) aliud pro alio accipere, nónne illi qui dant huiusmodi esculenta coguntur emere p̄senti pecunia? idem est igitur atque si dent pecuniam loco vsurarum, eodē modo munus non simpliciter constat ex pecunia, sed etiam ex eo quod præsentem pecuniam repræsentat, & quidem tripliciter, à manu, à lingua, ab officio profectum, vnde scriptum est in Esaia cap. 33. qui excutit manus ab omni munere, iste etiam habitabit in excelsis, atqui in contrarium opponi consueuit contra iam præfata, quod videlicet illa donaria sint quædam liberalitas non vsura.

Iudicibus licitum est accipere à partibus esculentum & poculentum mera liberalitate oblatum c. statutum §. insuper. de rescriptis in 6. ergo & vsurarijs istis cùm vtrobique officium præstitum recompensationem mereri videatur, & per hoc nō iniquum talia acceptare sponte oblata. **Antinomia.**

Non timetur in eo casu peccatū vt in vsuris cùm non sit verisimile, quod propter ista moueatur Iudicis animus, Item victualia ista velut xenia quædam sunt non lucra, nec producuntur ad munerum quantitatem, l. solent in fi. ff. de officio procōsulis, l. plebiscito ff. de officio præsidis, tractatur idem in c. statutum §. insuper vt gratis: de rescriptis in 6. Postremò hæc non bene conferuntur, ita vt vnum ex altero æstimationē non possit **Solutio.**

accipere, quippe leges & iura voluerunt hæc esse diuersa, ita vt concedant Iudicibus talia sumere propter prædictam rationem, vsurarum negociatoribus nequaquam. Similiter dicendum de nudo pacto, in quo plurimi plurimas rationes conantur adferre, cur ex eo non detur actio, dic tu simpliciter & constanter, ideo non dari ex nudo pacto ciuiliter actionem, quia leges prohibuerunt.

Antichresis etiam est, vt mea fert sententia, si quis dicat, da mihi mutuò 200. aureos, pro quorum vsu (dato vsu victus pro vsu pecuniæ, ita vt exhibeatur aliquid alicuius vsus pro mutua vice alterius vsus) te alam tam diu, quamdiu voles, semper redditurus sortem, quod aliquando in Gallia Parisijs quidam solent studiosis Germanis offere: Ad hunc locum pertinens est, (hoc enim etiam refero ad Antichresin) quod qui emit in Germania, Gallia, & similibus locis pannum siue alias res, nec soluit mox pecuniam, sed venditor sequitur emptoris fidem, quod Galli vocant credit cogitur, si modo velit auferre & secum asportare rem emptam. Emptor plus promittere & maioris emere quàm si præsenti pecunia instructus ad emptionē accederet, Ecce singularem speciem, & tamen occultam exercendi vsuras, Germanici Mercatores dicunt, man můß den borg bezalen / detur aliquid pro vsu temporis, suntque occulti fœneratores, qui non quærunt vsuras, vt ipsi dicunt, accipiunt tamen, quo nomine plerique Philosophi olim malè audiebant, vt prouerbium aduersus hos meritò

ritè torqueri poßit, Scythæ Asini epulas, &c. Et quidem hi clancularij fœneratores deteriores sunt & peiores illis qui vsuras palàm exercent: nam vt ait Paulus, libro singulari ad Senatusconsultum Turpillianum, palàm delinquentes vt errantes maiori pœna excusantur, clàm committentes vt contumaces plectuntur, l. fina. ff. de ritu nuptia. quod inde contingit, quia omne scelus timidum est, vnde Christus inquit, Ioan. 8. qui malè agit odit lucem, &c. quod sic vertimus ex tempore. Omnis agens peruersa, fugit, malè fertque videri, Nec venit ad lucem sed miser horret eam. Ouidius,

Conscia mens vt cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro meritis spemque metumq; suis.

Sunt itaque tales fœneratores velut noctuæ lucem non ferentes lucifugæ, vtinā lucrifugæ, quia pudet eos peccati & confunduntur, interim tamen volunt videri probi & palliare suum peccatum. Sed quod superius dictū est, man muß den borg bezalen/ *habet aliquam rationem, quia creditor siue venditor panni cogitur aliquo tempore vsu suæ pecuniæ carere cum detrimento, sicut norunt mercatores, & sæpe differtur solutio in longißimum tempus. Sed adhuc ad Antichresin reuertamur, nondum enim mihi videor eam esse sufficienter expositam, de hac etiam est in l. 11. & 14 C. hoc titul. Est igitur Antichresis conuentio talis vt fructus rei pignoratæ creditor retineat vsurarum vice vel vt domum pignoratam habitet, & ex ea conuentione omnes fructus pignoris retineat, nec im-*

putet in sortem etsi excedat legitimum modum vsurarum, l. 17. C. eod. quia qui nodus est datus vsuris, non est idem Antichreseos, vsuræ stipulatione constituuntur, Antichresis etiam pacto: est enim pactum pignoris. Vsuræ non perimuntur sola sortis oblatione, Antichresis verò perimitur sola oblatione, de Agricola vsurā stipulari licet, cū eo Antichresin pacisci non licet, Nouell. 32. 33. denique Antichresis non est vsura, sed quasi vsuræ vice constituitur. Audi speciem huius ex Harmenopolo libro tertio titulo quinto de Antichresi, ea est talis: Dedi tibi pecuniam mutuam & accepi ædes pignori, ea lege vt eas inhabitarem vsurarum vice, nulla mercede habitationis constituta aut præstanda, per quam Antichresin mihi permissum est, vt inhabitem non vt locem: possum tamen etiam locare si volo, quia conductori similis sum, conductor etiamsi dictum non sit potest domum conductam relocare, l. 6. Cod. locati, nunc si id fecero, quod mihi nominatim permissum non est, hoc est, si relocauero, & ex mercede plus redegero quàm ferat legitimus modus vsurarum, quod amplius erit id sorti imputabitur, sicut tradidit Harmenopolus loco supra allegato, verùm si vt conuentum fuit tantummodo habitauero, licet ea habitatio pluris æstimetur, quàm legitimus modus vsurarum ferat, tamen conuentio seruabitur, & cedet habitationis commodum lucro creditoris, nam videtur mihi potiùs domus conducta, quàm illegitima vsura contracta. Similiter

liter si ager venerit in conuentionem ea, lege vt creditor fructus habeat, conuentio seruabitur, etsi fructus excedant legitimum modum vsurarum, verùm si nihil dicatur de fructibus, sed ager tradatur pignori simpliciter, id agitur omninò vt fructus percipiantur, quinimo mulctatur creditor nisi percipiat, quia tenetur ad percipiendos, sed hoc casu tamen tacitè videtur contracta Antichresis. Itaque creditor retinebit fructus vsurarum vice, non tamen supra legitimum modum. Est igitur differentia in his, tacita Antichresis seruat modum vsurarum, expressa non item leg. cùm debitor ff. in quibus causis pignoratio vel hypotheca tacit. In quo titulo ponitur exemplum tacitæ Antichreseos, quod ipse titulus etiam exigit, debitor enim vtitur mea pecunia gratuito, iam quia vsuras stipulatus vel pactus non sum, huius beneficij compensandi gratia dum mihi tradit agrum pignori tacitè id agi videtur, vt fructus retineam, non tantum percipiam, quod tamen fiet iuxta modum legitimum, quasi tacito consensu id quoque comprehensum sit, quod si ea pecunia fuisset fœneraticia, non videretur tacita contracta Antichresis, sed tradito pignore debet creditor fructus percipere, & nisi perceperit mulctatur, hoc est, imputat perceptos & percipiendos vsuris, leg. 2. Cod. de pact. pigno.

L. 20.

Summa huius capitis est quod adiectio inutilis non vitiat sed vitiatur, vel pro non adiecto habetur, vt in multis articulis Iuris sæpè vsu venit l. placuit inf. eod. ita ea quæ redundant non vitiant scripturas vt habet regula Iuris antiqui. Ratio horum est quod non rectè adiectũ tanquam nullũ habetur. Sic iniusta vsura nõ est vsura, & falsus tutor non est tutor l. Paulus ff. de verbo significationibus Item falsum testamentum non est testamentum, Ita falsa mensura non est mensura ait Galenus in lib. de bona valetudine, Ergo iniusta vsura quamuis promissa, non est vsura, & quod modum legitimum excedit pro non adiecto habetur.

L. 21.

Sciendum) Animaduerte quando mora fieri intelligatur, quæ non est regulariter ex re, sed ex persona committi consueuit l. 32. inf. eod.

Moræ annumerandum) Mora enim non consideratur quoquomodo, & qualibet de causa, neque enim quoquomodo cuiusque interest l. fideiussoris, ff. de pactis, & non est damnum magnum in mora modici temporis l. si debitori ff. de iudiciis, hinc mora nihil curatur si actoris non intersit, eiusque ius non sit deterius factũ l. et si post ff. si quis cautionibus l. sequitur ff. de verborum signification. l. postliminium ff. de captiuis & pistli: vnde & introductum est quod concedatur purgatio moræ, quæ non solum liberat reum promittendi interitu rei l. 73. ff. de verborum obligationibus, Sed à pœna post moram

ram ipso iure debita, l. 19. ff. quando dies legato: Et quidem purgatur mora vsq; ad litem contestatã non solum in faciendi obligationib. sed etiam dandi, si modo non intersit prius datum vel factum esse, vt in l. Celsus ait ff. de receptis arbitris.

Quid enim si amicos adhibendos) Solemus hodie amicos nostris negocijs tanquam testes factorũ adhibere, vt si guerra aliqua postea orta fuerit ab alterutra parte, per eos rem ita transactam esse vel secùs, euincere & obtinere possimus: possunt & aliæ causæ contingere cur eos adhibendos putemus, vt dicitur, amicus alter ego, vel propter consilium quemadmodũ Apollonius Græcus poëta ait, communis est necessitas, sint igitur communia consilia. Itẽ sicut amicus, amas alium genuinus amicum. γνήσιος ἐμοὶ φίλος, &c. vt incipit Græcis versus in Epigrãmatib. Græcorum poëtarũ. Tui Martis est, optime lector, hæc plura similia colligere & aggregare.

Notandum finaliter hoc loco, quod multi fallere consueuerunt sub prætextu amicorũ adhibendorum, quod & in contractibus verificari potest.

Ouidius:

Tuta frequensq; via est per amici fallere nomen,
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Vel exceptio aliqua allegetur) Huc pertinet Pauli sententia dicentis, Non est in mora is à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. L. lecta circ. fi. ff. si certum petatur. Ac idem est nullã petitionem habere, & exceptione submoueri, quod cùm sit, non intelligitur ibi mora fieri, vbi nulla est

petitio l. nulla ff. de regulis iuris, l. si pupullo ff. de verborum obligationibus.

L. 22.

Argumentum huius legis est, quod simulatio fraudulenta sit reprimenda, cum locis similibus, qui pulcherrimi in vtroque Iure extant. Ita perlusorio iudicio agere, est prohibitum, vbi aliud agitur aliud simulatur, cùm plus valere debeat quod reuera agitur quàm quod simulatè concipitur, de quo titul. Cod. extat. Sic falso prætextu non est vtendum l. vni. ff. apud quem à quo appelletur. Si quis fraudulenter fuerit versatus in dimittenda custodia, vel capite punitur, vel in extremum gradum militiæ datur l. fin. ff. de custodia reorum, Item si quis quod fisco debetur simulans se fisci creditorem, accepit, in crimen peculatus incurrit, leg. sacrilegi, ff. ad l. Iuliam peculatus, Item iudex sciēs prudensque committi in legem per aliquem, patiens tamen & ferens simulatione vti dicitur & propter id punitur l. vltim. C. de assessoribus: Simulatione etiam peccant ij, qui cùm melius norunt confiteri tamen veritatem supersedent, vt ex principibus multi credebant in CHRISTVM, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne è Synagoga eijcerentur, Ioannis 12. capit. Tales sunt nostro tempore qui neutrales appellantur, qui neque frigidi neque feruidi sunt, atque vtinam frigidi aut feruidi essent, Apocalyps. cap. 3. Hi blandiuntur hominibus, quorum Deus venter est, ayans en admiration les personnes à cause du prouffit

vt

vt ſcriptum eſt in Epiſt.5. Iudæ. Et quidem hæc faux ſemblant & hypocriſis maximè pernicioſa in Theologis eſt, ac, qui dicunt aliter, recti quàm conſcia mens eſt, accerſunt furias in ſua fata graues. Simulant etiam perfidioſe Phariſæi interrogantes Chriſtū, licét ne Cæſari cenſum dare? an non Marci 12. cap. audi vocem principis apud Homerum:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ

Exemplum inſuper fraudulentæ ſimulationis C. Caligula præbet, is præſcribebat aliquando legem, quaſi populum meliores mores reformaturus, literulis perquam exilibus aciem ſuffugientibus, eam intimari procurans, quod perfidioſa ille ſimulatione faciebat, ſcilicet vt populus illam legem parum agnitam & perſpectam ad commodum ipſius per impoſitionē mulctæ facilius violaret, Tranqui. Sueto. in eodem. De talibus Horat. ait lib. 1. Epiſt.

Da mihi fallere, da ſanctum iuſtumq́; videri,
Noctem peccatis & fraudibus obijce nubem:

Quo delicto vix aliud deterius in adminiſtratione rerum allegari poteſt, cùm nulla ſit capitalior peſtis quàm eorum, qui tum maximè fallunt, cùm id agunt, vt boni viri eſſe videantur. Ita Fredericus tempore Gregorij noni Pontificis Anno 1236. plus minus ſimulans ægritudinē in Sicilia ſe cōtinebat, interim non erat ægrotus ad diripiendam omnē ſuę pellectilem Lantgrauij Haſsiæ, qui fruſtratus ab ipſo Brunduſij cum magna parte militum mortuus eſt. Certè contra hos cuiuſcunq; artis aſtutia cuiuſcunque

cunque occasionis excogitata calliditas exclusa est per legem vnicam C. vt omnes iudices tam ciuiles, &c. Caeterùm isti simulatores sunt duplici corde, quo & loquuntur, sorbentes simul & flantes calidum & frigidum, ex eodem fonte emittentes simul aquam dulcem & amaram, quod est diabolicum venenum, ob eam quoque causam tales simulationes sunt prohibitae, sicut ipsum decipere c. nec artificiose 22. quaest. 2. debent enim se homines amare sine fictione, 1. Petr. 1. & nõ simulatè (quod Galli vocant propriè contre son cueur) agere: dilectio vestra, inquit Apostolus, sit sine simulatione 12. cap. ad Roma. quae quidem simulatio accedit ad vitium Hypocriseos, Item sit sermo vester est, est, non, non, ne in simulationem incidatis ait S. Iacobus, cap. 5. ac in Psalmo scriptum est bonis spiritus in quo non habitat Hypocrisis, qualis est simulatio falso verborum & mentis colore perfusa, quanto magis debebat valere, sentio nõ aliud quàm mea lingua sonat.

Interdum tamen simulatio caret peccato, scilicet, ea quae non est instituta ad laedendum proximum, vnde et mentiri interdum licet (quia triplex est mendacium) Herodotus: Vbi opus est mendacium dicere, dicatur. Hoc pacto & Abraham mentitus legitur, & alij quam plurimi sine Dei offensione, Virg. lib. 1. Aeneid. alta simulabat fronte dolorem: Ita in leuioribus & non enormibus concessum videtur vel saltem non punitur ciuiliter, fraudem fraude repellere, Cato, Tu quoque fac simile sic ars

deluditur arte; Virg. Dolus an virtus quis in hoste requirat? quemadmodum hodiè strategemata bellica sunt vsitatissima, Virgil. lib. 2. Æneidos, Votum pro reditu simulant, &c. vbi Sinon transfuga praebet exemplum fraudulentae simulationis, &c.

L. 23.

Qui subitò abripitur in profectionem Reipub. causa, non dicitur moram nectere solutionis, cùm non potuerit alium substituere propter subitaneum iter qui eum excusaret, vel sui defensionem susciperet apud creditorem, quare cùm talis non sit in mora, ad vsuras non tenebitur, nam si secus obseruaretur in damnum Reipub. causa laberetur, quod iura non patiuntur l. absentia ff. de verborum significatio. Huc pertinet quod qui Reipub. causa absunt non necesse habeant se defendere, leg. 2. ff. eum qui appelauerit in prouincia defendi.

Aliquando ex re moram fieri) Quomodo in re mora fiat exemplo declarandum est, Is cui fideicommissaria libertas relicta est, nisi manumittatur ab haerede cùm possit hoc haeres facere, nulla interpellatione facta moram intelligitur pati in re, & ideo liber habetur, l. cùm vero ff. de fideicommissa. libertatib. quare si inter moram captus sit, quasi liber restituetur. Caeterùm existimo in re moram fieri cùm aliquid contingit circa rem, quae deterior fiat, per moram illius qui eam tradere debebat, nec conueniri poterat: vnde dicitur in leg. si sterilis §. cùm per venditorem ff. de actionibus empti, vtilitatem emptoris venire in aestimationem quae circa rem

ea rem ipsam consistit, agitur enim ibi de vino per moram non tradito & corrupto: Illud autem hoc loco meminerimus, generatim moram nō fieri in re, sed in persona, non enim toto Iure ciuili cùm de mora agitur, eaque in debitore vindicatur aut etiam creditore, his verbis vindicatur: Si res non soluatur, at hac formula, si debitor in mora sit: Sed huius rei hîc appendix traditur cōmuni regulæ quandam limitationem afferens, & propter hoc dicendum, interdum ad rem moram referri, & hoc etiam locū habet in persona pupilli cui promissum est aliquid, & promissor absens sit, vel alius eius nomine conueniri non possit, ibi in re ipsa & ex solo tempore fieri morā præsumitur: cùm enim res ipsa differatur in re mora inest, hoc ipso quod non soluitur, cùm debeatur, & per alium stet qui conueniri non potest, quo minus fiat aliquid quod debeat fieri: Et quidē cùm mora in re fieri videtur, non dicitur cessatum esse à creditore, cùm non sit aliquis qui possit interpellari. Quò referendū quod hîc dicitur, si non sit qui conueniatur l. 5. §. cessatum ff. vt in possessione legatorum: quòd tamen ipsum testatione cōpleʒ cti oportebit, ita vt pro petitione id cedat l. 2. inf. de nautico fœnore. Porrò cùm dictum sit de pupilli persona cui mora in re ipsa fiat, venit attingendū de alijs quoque personis, quib. in ipsa re mora fit, cum distinctione tamen personarum, quippe peculiariter in quibusdam causis receptum est, vt mora ex re fiat etiam sine aliqua interpellatione, & hoc maximè in persona pupillorū l. in iuniorum C. in quibus

bus causis restititutio in integrũ &c. l. cum filius, §. 1. ff. de verbor obligati. Sed in alijs personis ferè semper requiritur ante moræ commißionẽ vt præcedat interpellatio, vnde & hîc dicitur, si non sit qui conueniatur. Neque enĩ hoc loco, aliquo fauore vel personæ vel causæ, in re mora fieri intelligitur vt in pupillis: distinguendæ igitur sunt materiæ & personæ, quibus Iuris definitio communicanda est.

L. 24.

Argumentum) Qui dicit se nolle soluere propter causam & iustam exceptionem, qua se velle expectare rei controuersæ iudicium, eique parere vsque in euentum asserit, non est in mora: dũ enim res pendet, non est pro eo qua sit & debeatur, res certè in suspenso est cùm ad iudicium prouocatur, ideoq; nihil innouandum: argt. tit. ff. vbi nihil innouandum interpellationi interposi.

Prouocauit) Vide elegantem textum in l. qui ff. de regulis Iuris l. 3. §. si quis parátus ff. quod vi aut clàm, in quo loco quæritur, num interea dum aliquis paratum se præbet ad iudicium accipiendum, constituatur etiam per litis contestationẽ in mora? & deciditur quod non, quia litis contestatio prodest, si iustè sit prouocatum ad iudicium, sed si non habuerit causam litigandi reus conuentus, tũc & litis contestatio nocet l. nemo §. 1. ff. de verbor. obligationibus, l. fi. ff. de condictioni. furt. l. illud ff. de petitione hæreditatis, qui textus huc bene cõcordant; quod hoc loco dicatur, si iustè ad iudicium prouocauit, &c.

Siue

Siue ei cui mandauerat) Ratio huius decisionis est probabilis quippe quod iussu alterius soluitur, pro eo est quasi ipsi soluatur l. quod iussu ff. de regulis Iuris. Sic substitutus ab aliquo potest idem facere quod auctor eius, l. 2 C. de officio eius cui vicem alterius. huc pertinent & sequentia tritissima DD iuris axiomata: quod quis per alium facit per seipsum facere intelligitur, Item siue per se quis denunciet siue per alium rata est denunciatio., l. denunciasse §. sed etsi ff. ad l. Iuliam de adulterijs, Item ipsius Domini manu scriptum videtur, cuius voluntate aliquid scriptum est, l. Diuus Claudius, ff. ad l. Corneliam de falsis.

§. *Cum reus*) Mora idem contra fideiussorē quod & contra reum operatur, vt sensus est huius §. adde l. mora rei ff. de verborum significationibus. l. si libertus moram ff. de operis libertorum. Huc pertinet quod iure veteri plerisque in casibus non eadē erat ratio fideiussoris & rei, olim cum mandatore prius agebatur, quàm cum principali, reo iudicato induciæ dantur ex iure veteri, mandatori non itē, quod abrogatur l. vlt. §. vlt. C. de vsuris rei iudicatæ, ostenditur etiam in l. 20. C. hoc titul. modum præscriptum de vsuris non tātùm pertinere ad reos principales sed etiam ad mandatores & fideiussores, qua de re non temerè dubitabatur.

§. *Mora dicitur*) *Sed officium impleri*) interim tamen efficaciter aliquid operari hoc officium non sine ratione dicitur, vt patet ex sequentibus exemplis.

L 25.

Quam ex quo Dominus) Quia suæ partis tantum habet alienationem l. si socius ff si certum petatur.

Et quemadmodum si totum fundum) Ducit argumentum à toto ad partem, quod est validum in legibus, nam quod iuris est in toto, idem est in parte eius qualibet & econtrario, l. quæ de tota ff. de rei vindicatione §. nihil interest, Institu. de fideicommissarijs hæredibus, quod tamen ita verum esse arbitror ex communi sentētia D D. vbi eadem ratio militat in parte quæ in toto, nam aliud esset si eadē ratio non foret vt in l. ex mille iuncta gloss. ff. de euictionibus.

§. In alieno) Meum foret) Semina & sata cedunt solo, sicut ædificia, vt & pictura ipsi tabulæ, licet de hoc sit controuersia durißima inter iuris D D. de qua iam non disputo, cùm sit à materia et proposito alienum; si placet vide Eguinarium Baronem super Instit. lib. 2. titu. 1. de rerum diuisio: Estq; hæc ratio sæpius repetiti dicti: Omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur, quod non inconstanter dici poterit, cùm à potiori parte fiat denominatio in hac re, &c.

Idem iuris habet quod Dominus) Huc referenda est regula iuris dicens, bona fides tantum posidenti præstat, quantum veritas l. bona fides ff. de regu. &c. adde textum in l. magis puto §. 1. ff. de. rebus eor. &c. vbi idem iudicatur de fundo bona fide possesso, quod de Domino fundi vt alienatio

fieri non poßit l. quoties ff. de noxalibus. l. si postu lauero §. de eo. ff. ad l. Iuliam de adulterijs.

Antinomia.

Hîc definitur quod bonæ fidei possessor idem iuris habeat in percipiendis fructib. quod verus dominus prædij, at in l. bonæ fidei ff. de acqui. rerum domi. dicit textus, quod bonæ fidei possessor quòad fructus penè sit loco domini, & in l. 1. §. 1. ff. ad Sillanianum expreßè affirmat, quod Domini appellatione non continetur ille, qui bona fide sæuit.

Conciliatio.

Angelus in isto loco concludit, quod bonæ fidei possessor sit loco domini, si non appareat quis verus dominus sit, aliàs secùs, quæ quidem Angeli solutio & distinctio cùm non sit inconcinna, nos ea iam acquiescemus ipsius auctoritate contenti.

Qui plus iuris in percipiendis fructib. habent) Nota hoc in loco differentiam inter fructuarium & bonæ fidei possessorem. Bonæ fidei possessor est in pinguiori conditione quoad fructuum perceptionem, quàm fructuarius, vt hoc in loco euidẽter innotescit, poteris alibi & plures inter hos duos discretiones obseruare tuo Marte, quòd admonuisse sufficiat, ne prolixitate nauseam moueamus alicui.

Antinomia.

Vsufructuarius tantum iuris hábet in percipiendis fructibus, quantum bonæ fidei possessor, quia vsufructuarius domini appellatione continetur. l. in venditione ff. de rebus iudicis auctorit. l. ossa §. penult. ff. de religiosis l. 2. §. dominus, vbi gloss. ff. de

de legatis 2.l.1.§.non solum ff.de arborib. tæden. gloss.& Bart. in Rubr.C.de vsufructu, Idem Bartol. & alij in l.qui fructum ff.de verborum obligationib. Respōdit & Alexander, appellatione Domini vsufructuarium contineri consil.5. puto de iure concludendum.lib.4. Regisque loca & illa censeri illaqueata, quibus tantummodo Rex vtitur fruiturque. Accedit quod Cicero ait lib. 8. Episto. ad Curium, Id cuiusque est proprium, quo quis vtitur fruiturque: & Paulus ait, vsufructum in multis casibus partem dominij esse l.4.ff.de vsufructu et quemadmo.

Conciliatio.

Distinctione hoc in loco vtendum est, quod ad totum & plenarium dominium spectat constituendū pars dominij est vsusfructus, quo significatu l. 4. ff.de vsufructu accipere debemus: sin autem fiat sermo de vsufructu à ꝓprietate separato, qui vsusfructus formalis dicitur, tunc dicendū, quod vsusfructus non sit pars dominij l. rectè dicimus.ff. de verborum significationib. l.permiscere ff.de acquirenda possession. cum similibus.

Qui vectigalem fundum habet) Hoc est, emphiteuticum, vel in emphiteosin conductum, Emphiteuticarius igitur hîc æquiparatur bonæ fidei possessori, quod est notandum, Huc refer titul. 2. ff.lib.6.si ager vectigalis petatur.

§. Bonæ fidei) Quādiu fundus euictus nō fuerit) nō cōsiderata sciētia an alicuius fuerit nec ne, certè quod ab initio bonū fuit nō facilè ex postfacto corrū-

petur, ac licet dicat quis suum fundum esse, non tamen mox hoc esse verum praesumi potest, ideo pergit fructus suos facere bonae fidei possessor ante euictionem, iuxta hunc textum, ibi cognouit, faciet etiam fructus suos, quod si ita est, etiam faciet fructus suos post scientiam rei alienae quam habet, cũ iam factus sit malae fidei possessor.

Antinomia.

Euidenter Vlpian. ait; singula penè momenta esse spectanda: in iudicando bonae fidei possessore, non initium tantùm, l. qui bona, l. quaesitum ff. de acquirendo rer. domini. vbi huius §. quaestionem mouet, & collocat exemplum in seruo alieno, quib. consequens est dicere, non videri bonae fidei possessorem fructus suos facere, postquã cognouit fundũ esse alienũ, vt hic dicitur à Iuliano, etsi cognouit fundum esse alienum, tamen ante euictionẽ faciet fructus suos. Ac habebit haec Antonimia vires suas, si intelligamus malae fidei possessorem non posse fructus suos facere, eò quòd contra suam conscientiam peccet, retinens alienum bonum. In hanc sententiam allegat Ius Canonicum dictum Apostoli, Quicquid non est ex fide, peccatum est, cui sermoni pius homo facilè subscripserit.

Conciliatio.

Certè Iulianus non solùm hoc loco ab Vlpia. sed etiam ab alijs discrepare videtur, ac difficilis est huius dissensionis compositio, nisi dicere velimus vnũ locum ex altero decidi & componi oportere, vt ita posteriores leges ad priores trahantur vel econtrà,

quod

quod non est insolitū l. non est nouum ff. de legib. Subscribendum igitur fuerit Vlpiani sententiæ magis piæ, quod scilicet fructuum acquisitioni superueniens mala fides obsit: verùm opinor rectius respondendū, hic non quæri principaliter de bonæ vel malæ fidei possessore, sed de lucro fructuum & tempore euictionis. Interim tamen non diffiteor perpendi simul debere iustitiam & æquitatem fructuū percipiendorum, cui rei intelligendæ vtilis est disputatio de bonæ & malæ fidei possessoribus. Illud in dubium hoc loco trahitur, an vsucapionem semel bona fide cœptam vitiet superueniens mala fides: de iure ciuili non vitiat, at Ius Canonicum refragatur. sed ne iam cùm hæc quæstio non valde propriè huc spectet conuenientibus inconuenientia miscere & coniungere videamur, non sine causa eam præterlegemus. Finaliter ad propositum casum rediens, breuiter dicendum, licet fructus suos fecerit malæ fidei possessor, si tamen post euictionem extent, vtiq; recte vindicabuntur l. etiamsi ff. de petitio. hæreditatis l. euictis, sup. eod.

L. 26.

Argumentū) Quæritur an venatio sit in fructu, et quidē esse in fructu nō est dubiū. Hanc maximè principes hodie sibi appropriant, exclusis priuatis.

L. 27.

Hoc dicit quod defunctus potuit habere idem et hæres, nisi sit actio iniuriarum, quæ ad hæredē non trāsit, aliàs quod is cui sum hæres fecit, perinde est q; si ipse fecissem, quod tamen solummodo ciuili-

ter verum est l.6.ff.de aqua & aquæ plu.l.hæredem ff.de regulis iuris. Sic præmium defuncti transit ad hæredem l.edicto ff.de iure fisci.

Ideoq; ad cæteros) Quod in hærede dicimus, idē erit & in cæteris successorib.l. 9.ff. de tributoria actione. L. 28.

Etiā fœtus)Vides ergo appellatione fructuū, etiam fœtus venire animaliū, vnde datur intelligi hic ad vsufructuariū bonæq; fidei possessorē pertinere.

Pilus & lana) Lana est quæ de ouibus deciditur, agni sunt fœtus ouium.

Hœdi)Hœdus est animal ex capra genitū, vitali fœtus ex vaccis, vt, vituli subsiluēre noui.

Partus verò)In hunc locum Cicero lib. 1.de finibus bonorum & malorum.

In fructu non esse)Videtur tamen esse, quia ancillæ partus renascitur, potestq; vt seruorum & ancillarum vsusfructus constitui, nec quicquam quoad hoc videntur à reliquis animantibus discrepare §. constituitur Instit.de vsufructu, nam & possidētur, legantur & venduntur, & permutantur.

Mutatio Iuris.

Hæc antiqua iura quibus serui quadrupedibus & bestijs similes existimabantur, abolita sunt, nec amplius obtinent in foro Christianorum, vnde & in hoc loco in contrarium antiquis istis legibus disponitur, propter hominis dignitatem in cuius gratiam Deus Optimus Maximus omnia condidit ex nihilo ante 5524.plus minus, annos, infinita potentia & sapientia pulcherrimam hanc rerum machinam extruens.

Cum

(Cum omnes fructus) Idq́ ex Bruti sentētia obtinuit l. fœtus ff. de vsufructu, & est apud Paulum ca. 1. li. 3. senten. tit. 1. cōcordat l. vetus quæstio ff. de vsufructu, et §. in pecudū Inst. de rerū diuisione, vbi insignia quædam de hoc loco tradūtur à commētatorib. Adde l. Falcidiæ ff. ad l. Falcidiā l. mulier §. sed enim ff. ad Trebellianum : ex quib. allegatis facilè veritatē huius capitis deprehendes: finaliter & hoc adde ad euidentiorem huius loci intellectū, in fructu id esse accipi, quod ad vsum hominis cōparatum & introductū est, ait Iauolenus in l. penul. ff. de vsu & vsufructu & reditu, cuius sentētiæ elegantē vide definitionē apud Cicer. li. 1. de legibus.

L 29.

Supra statutū modum vsurarū) Superius dixit Papin. l. 1. in prin. statuendas esse vsuras vt legem non offendant, statuētur aūt supra modū, si cōuenerit vt ad diē precio non soluto vēditori duplū precij p̄stetur, vnde in fraudē cōstitutionis videtur id adiectū quod legitimā excedit: Quin etiā Vlpia. cùm quæreretur an valeret legatū certarū vsurarum do nec legata sors præstaretur, valere quidē respōdit, si modum probabilem vsurarum non excederet l. 3. in fi. ff. de annuis legatis : Est enim in rebus certus modus obseruandus, cùm excessus omnis noceat, quod in vsuris maximè conspicitur. Ac si Plato reprehendit libro 3. de Republica multitudinem & copiam chordarum, & vocum in organo musico, quæ tamen non valde magnum detrimentū affert, quanto magis nimietas vsurarum reprehendēda &

vituperanda, cum ea lædat proximum: Proinde si vsurarum modum à legibus præscriptum quis excesserit, puniri non immeritò debebat. Vt interim non recenseam, quod Ius Canonicũ fœneratores durissimus pœnis subijciat, confirmat idipsum Cicero lib. 5. & 6. Epistol. ad Atticum de lege ab Aulo Gabinio consule lata commemorans, quæ non modo ius ex ea syngropha dici vetabat, qua contra modum ea lege præscriptũ vsuræ debebantur, sed vt ne sortem quidem ipsam petere liceret, imò etiam pœnam fœneratoribus irrogabat, iuncta l. 2. de vsuris lib. C. Theodos. secundo. Certè in hac pœna seruandũ putarim, quod Paulus ait lib. 6. sententia. l. locatio, §. quod ff. de publicanis, (qui fœneratoribus similimi sunt) quod illicitè scilicet ab illis publicanis publicè priuatimq́ exactum est, cùm altero tanto passis iniuriam exoluitur, si quis dixerit eos condemnandos eius dupli quanti ea res est, tolerari posset ad exemplum venditoris qui mensuras publicè probatas, puta vini, frumenti, vel cuiuslibet rei corruperit, doloq́ malo fecerit, quanti ea res est eius, duplo condemnatur Modesti. lib. 1. de pœnis l. penult. ff. ad l. Corneliã de falsis, quod arbitror rectissimè dici posse propter similem speciem facti, nam & fœneratores quasi mensuram vsuræ à legibus præscriptam scientes prudentesq́ violant & transgrediuntur, eadem certè ratio vtrobiq́ militat, idẽ ergo ius statuendum iuxta l. illud quæsitum ff. ad l. Aquiliam l. à Titio ff. de verb. obligation. Ita si quis iudex in pœna infligenda modũ præscriptum à legib.

excesse-

excesserit, tenetur condemnato ad dupli restitutionem l. eos §. quod si quis C. de modo mulctarũ. Est enim honestus modus seruandus in vsuris, non cuiuslibet fœneratoris immoderata luxuria admittenda argto l. ex damno. ff. de damno inuecto, l. vnica C. de anno & capitatio. De veteri iure ita se habebat: si quis fortè creditor excessisset præscriptũ modum vsuris, primum quidẽ nulla ferè fuit pœna nisi infamia, ex qua nota multa sequũtur incõmoda, l. improbum C. ex quib. causis, fortẽ non amittebat nisi pro rata eius quod exegerat supra modum: olim tenebatur in quadruplũ l. 2. C Theodosia de vsuris. De his pœnis ait gloss. Iuris Canonici, quod vsurarius sit homicida sui ipsius & aĩæ suæ: vnde & mox in Iure Canonico post titulum de homicidio ponitur titulus de vsuris; teste eadem gloss. Hinc etiam fœneratorem expellendum esse affirmat ex terris, quod maximè contra Iudæos facit: fuit & conclusum olim in Concilio Laterensi, quod vsurarij manifesti non debeant admitti ad communionem sacræ Synaxeos, nec ad sepulturam Ecclesiasticam post mortem, & qui recipit ad præfata eos tales, peccat mortaliter. Item asserens (quod tamen intelligo in excessu) vel affirmans exercere vsuras nõ esse peccatum, potest vt hæreticus puniri, & si pertinaciter hoc asserat, peccabit contra articulũ, Credo in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam: hæc hactenus Ius Pontificium non erubescit proferre: quibus adiunge illa, quæ superius diximus in loco de euentu. Cæterùm quis modus vsurarum habeatur

legitimus nouissimè à Iustiniano constitutum est. l.eos C. hoc titul. vbi omnem varietatem è medio sustulit, vnamq́ simplicem formam pscripsit, iuxta quā vsuras quæcunq; illæ sint & quacunq; regione frequentētur, & ex quacunq; causa postulētur examinari imprimis necessariū fuerit, & quidē pfato loco eas moderatus est secūdum psonarum qualitatem & differentiam, hoc modo, primum in illustribus viris vel qui supra eos sunt definiuit trientes, in ijs qui ergasterijs præsunt, hoc est, argentarijs, & negociatoribus pscribit besses vsuras, quod etiam declarat Nouell.136. Adijcit Iustinia. vt pecuniæ nauticæ & fructuum vsura sit centesima, quæ est etiam rei iudicatæ, in alijs personis & causis præscribit semisses, quæ seruantur etiam in fisco, vt in priuatis l. vlt. C. de fiscalib. vsuris lib. 10 l. 1. C. de his quibus vt indignis, &c. vbi loquitur de fisco & semissib. quod videtur addidisse Tribonianus, sicut & in l. cùm quidam §. si debitores, supra eod. pupillares etiam vsuræ, quas præstat tutor sunt semisses, certis casibus sunt centesimæ, qui notantur in l. qui sine ff. de negocijs gestis, l. tutor qui repertorium ff. de administratio. tuto. Sciendū etiam hunc modum vsuris esse præscriptum, non tantùm in ijs, quæ veniunt ex stipulatione, sed etiam in ijs quæ sine stipulatione officio Iudicis veniunt, non semper obseruato more regionis, de qua re monui supra l. 1. hoc tit. vsurarum quidem quæ veniunt ex mora non fuit certus modus, sed præstabātur officio Iudicis p more regionis, si tamen hic mos

non

non læderet legem ipsam: quod si in eã impingeret, iam non obseruabatur id quod etiam additum est ad d. l. 1. et l. idemq́ §. sed et si quidam ff. mandati, itaque notandum moribus non posse derogari huic modo iuxta ius ciuile.

Hodie ferè quilibet Dominus habet peculiarem ordinationem & taxationem in proprio territorio super vsuris latam, quod non est negligendũ. *Mutuatio iuris.* *Rex Philippus Hispaniarum concedit 10. in genere de centum, non valde considerata personarum distinctione. Alij dominantes alibi alium custodiũt modũ, alibi maiores, alibi minores frequentantur, vbi est copia mercatorum populosa maiores et grandiores in consuetudine sunt, olim etiam ita fuit, Caius, pecuniarum quoque licet vna & eadem potestas vbique esse videatur, tamen alijs locis facilius leuibus vsuris inueniuntur, alijs difficilius & grauibus vsuris, l. ideo ff. de eo quod certo loco, sed & pecuniæ numeratæ in omnib. regionibus nõ sub ijsdem vsuris fœnerantur, §. si quis agens Inst. de actionibus. Neque tamen vt iam dictum est ex more tantum regionis cuiusq́ modus definitus est, verum etiam ex principum decretis & placitis, l. constitutionibus C. hoc tit. rectè etiam dixeris morem regionis in vsuris limitandis causari ex constitutionibus principum quod & verum est, potest etiam fieri, vt constitutio super vsuris morem regionis sequatur, & ex more velut Iure non scripto fiat Ius scriptum, vt sæpe contingit.*

Ad locum de modo vsurarum pertinet ne

creditores

creditores ex sorte quam numerant aliquid retineant vel detrahant siliquarum, vel sportularum nomine, quippe creditores hæc nomina prætendentes ex sorte retinebant aliquid, & nihilominus debitorem in integram sortem sibi obligabant, & in integras eius vsuras, quod l. 26. C. eod. abrogat: quoniam non contrahitur obligatio, nisi quatenus numeratum est, l. si tibi 10. ff. de pactis. Igitur si ex 100. retinuerit 5. non debebuntur nisi 95. nec etiã ampliores vsuræ. Adijciendum hoc in loco & illud est, sæpe in modo certo vsurarum circumscribendo committi fraudem, adijciendum igitur his est ex c. quod quis de regulis iuris in 6. ne quis per interpositam personam supra modum vsuras stipuletur, vt ne illustris per argentarium sibi acquirat besses (hoc hodie non obseruatur, nihilominus tamen lex mandat eius obseruationem) quas potest quidem argentarius acquirere, quare si supposuerit argentariũ, & de eo constiterit non feret nisi trientes, & hac in re etiam vt liqueat veritas deferetur iusiurandum stipulatori vt se eo purget, an videlicet alteri operam accommodauerit: Hic est modus præscriptus à Iustini. post quem, nonnulli eũ voluerunt vnà cum ipsis vsuris abolere, sed nihil diu obtentum est, rerum necessitate ita exigente: vix enim potest Respub. stare sine his. Quò pertinet quod accidit sub Rege Danico patre huius Regis iam dominantis Frederici. Consequẽter, quidam pastor Aulicus in vniuersum damnauit vsuras, & Regi persuadere conabatur, vt prohiberet

in suo

in suo regno paßim exercitium vsurarum. Rex sapiens conuocatis & consultu suis Consiliarijs, vidit hoc fieri non posse sine maximo incommodo, tandem post longam deliberationem Rex voluit concedere 7. de 100. edicto publico, ibi pastor dixit (erat autem is ex Brabantia oriundus) si non dignaretur Rex eam sententiam adhuc mollire, se eum authoritate Ecclesiastica excommunicaturum, ibi tandem Rex 5. de 100. indulsit, quanquam pastor diu instabat, vt duntaxat 3. cõcederet de 100 sed hic pastor non satis intellexit verũ vsum vsurarũ, & studio fortè nouitatis voluit Regi imponere.

Ecce enim duo extrema sunt in vsuris vitiosa, nullas vsuras admittere suis quod idem est, in vniuersum eas abolere, quoniã sine his nõ viuitur, & immensum modum concedere. Mediũ est modus earum tolerabilis & vtilis hominibus. Peccant itaque qui in vniuersum eas damnant, peccant & illi grauiter qui modum excedunt, & vbertati earum nimium fauent, & in summa, mediũ tenuêre beati. Verus in his vsus maneat, tollatur abusus vsuræ vitio nomen abesse reor, Et neque quid fœdi comple ctitur, exime saltem Excessum, medio cætera sine probes, vt quondam cecini dum flos erat ille iuuentæ, Qui solet ingenium dote iuuare sua. Aspice procedunt gentes de iure quod olim Vsuræ pactis asseruêre suis.

Pro adiecto haberi) Hoc ideo fit, quia geminæ intelliguntur stipulationes in conuentione vsurarum, vna sortis, altera vsurarum, quod videri potest in l.

in l. centũ ff. de eo quod certo loco, vnde in ijs, quæ diuisionem recipiunt fit separatio inutilium ab vtilibus. Huc pertinet & illud, quod non rectè fit pro non facto habetur, l. filius §. sequens quæstio, ff. ad l. Corneliam de falsis, Ita quando vitiosè cautum est, vel satisdatum non videtur cautum vel satisdatum, l. quoties ff. qui satisdare.

L. 30.

Etiam ex nudo pacto) *Nudum est merum & simplex pactum, nihil continens præter conuentionem, ex hoc nõ oritur actio ciuiliter, sed datur exceptio tantũ, vocaturque nudum ad differentiam vestiti et causati, (sic enim loquuntur DD.) quod fit re ipsa, verbis, literis, interuentu rei alicuius, et cohærentia contractus, legis auxilio, & operis initio: At hîc quæritur, quomodo ex nudo pacto petũtur vsuræ? cùm ex nudo pacto actio non detur, ad quod dicendum, licet pactum nudum nullam possit gignere aut tollere actionem, tamen quoties lege aliqua iuuatur vt hîc vel aliqua interueniente negocij necessitante causa (puta cohærentia contractus alicuius, ex qua velut essentiam* ὑφισαμένην *trahat & firmitatem lucretur, accedat pactum nudum quasi nacto sustentaculo vim suam potestatemque & denique* ἐνέργειαν *ad efficacem actionem simulabit: vnde non videtur nudum pactum interuenisse quoties certa lege dari probabitur, ait sublimissimus quondam dum fortuna fuit Papinianus in l. si dominus seruum in fi. ff. de præscriptis, &c. Illud hoc loco meminerimus, quod I. Ruffardus profes-*

professor iuris in Academia Bituriensi annotauit, nudum pactum hîc accipi pro nudo consensu absque stipulatione non etiam absque re & mutui numeratione l.5.infra de nautico fœnore l.1.ff.de rerum permutatione,nam ex nudo pacto actio non datur l.Iurisgentium ff.de pactis,quod verum certè est, quia causa semper præcedere debet,ex qua debeatur,hinc nec pollicitatio tenet quæ sine causa facta est l.1.ff.de pollicitationibus: sunt tamen casus, de quibus ita iura loquuntur,in quibus ex nudo pacto petitio datur & actio,vt patet in eo qui se nudo pacto nulla omninò interueniente stipulatione pro alio reum constituit,& ob id actione de constituta pecunia conueniri potest.§.de constituta Institu. de actionibus. Huc pertinet l. exactionem C.de dotis promißiõe,vbi ex nudo pacto dotis præstandæ oritur actio, quod etiam singulare est in promißione dotis,adeò vt si inutilis fuerit stipulatio, tamen adiuuetur à legibus,quæ nullo modo patiuntur eam euanescere l.1.C.de rei vxoriæ actione:adde l.si argentum §.penul.C.de donationib.similiter in fructibus,frumenti vel hordei mutuò dati accesßio etiam ex nudo pacto præstanda est l.frumenti C.hoc tit.quod vtilitatis causa ita receptum videtur,fauetur enim creditori frumentum vel oleum mutuanti si quid accedere voluerit supra sortem,ne damno afficiatur,dum propter variam commutationem earũ rerum accidere potest, vt minori æstimatiõe eas recipiat,quãuis eadẽ mẽsura:non ita in nũmis res se habet,huc refer l.periculi infra de nau-

de nautico fœnore, vbi pactum etiã sine stipulatio-ne ad augendã stipulationem prodest, sed hoc ideo, quia periculi pretium est, spes precio emitur, quod solet esse fallacissimum, Aber wer spielen will/ der muß auffsetzen/ꝛc.

Finaliter dicendum, quod in hoc capite proce-datur contra duas regulas communes. Prima est quod regulariter vsuræ non debeantur citra vin-culum stipulationis. l. 3. C. hoc titul. secunda, quia nudum pactum non parit obligationem vsurarum, ideo ad huius loci Apologiam seu defensionem di-cendum, quod ciuitas siue Respublia habeat priui-legium præ cæteris, facit textus huc in l. statuas. ff. de acquirendo rerum dominio l. quod quis ff. de rebus auctoritate Iud. possidend.

Creditarum) Intelligo datarum mutuò, ac no-tandum quod ciuitatum ratio proxima sit fisco, cui ex omnibus contractibus vsuræ debentur, nõ modo citra stipulationem sed etiã sine vllo pacto, quod ta-men accipe, si modo mora à debitore facta sit, vel tardius fisco intulerit quàm debebat, l. cùm quidã §. fiscus inf. eod.

L. 31.

Contractus & stipulationes debent rem cer-tam comprehẽdere, aliàs vitiantur: vt tutela et o-mnes vltimæ voluntates propter incertitudinem vitiantur, l. Duo Titij l. tutor incertus ff. de testa-mentaria tutela. Certo enim iudicio debet quis pro tutela suæ posteritati cauere §. tutor autẽ Institu. de legatis. quod ad omnes vltimas voluntates refe-rendum

rendum est §. incertis d. tit. astrui id potest in hæredis instituto. quæ nulla est, cùm eius sunt implicita & intricata l. in tempus §. quoties ff de hæredis institutio l. si Titius ff. de conditionib. institutionum. Filij quoq; exhæredatio vitiatur, cùm mater plures nesciretur quis esset l 2. ff. de liberis & posthumis. Idem in legatis, in stipulationibus asserendum, patet hoc etiam in emptione, si enim lapidicinas excepero, nec appareat de quibus actum sit nihil exceptum videtur. Similiter iudicandum de venditione, quæ de incerta re facta, non valet, verbi gratia: In Milesia regione, vt scribit Valerius Maximus, cùm quidam retis iactum emisset, nummorum copiam piscatores extraxerunt, contentio inter eos orta est, piscatores enim capturam piscium vendidisse, Emptor verò futurum euentum totum in genere se emisse affirmabat, profectò cùm cõsensus deficiat, qui pars est substantialis emptionis & venditionis nulla erit emptio.

Antinomia.

Ambiguum est exponendum, vt sit saluum potius quàm vt pereat datum l. cogi poterit, versicu. in ambiguo ff. ad Trebellianum, quia verba directa quæ iure directo valere non possunt, trahuntur per interpretionem ad aliud, vt habere effectũ possint l. ex facto, eodem tit. Huc spectat dictum DD. si non valet promissio prout agitur, valet vt valere potest, l. an inutilis ff. de pollicitationib. Item verba sunt accipienda vt potius aliquid operentur, quàm vt pereant l. si legatũ ff de legatis 1. l. si duo

ff. vt legatorum, &c. eodem intellectu satisdatio pro illo exposita, si non habeat comprehensam certam quantitatem, nec consuetudo ostēdatur, q̄ certam formā habeat praeses de modo pecuniae quam inferri oporteat, decernere debebit l. si quis reum ff. de accusationibus, &c. quae omnia maximè aduersari videntur huic textui.

Solutio. Iura & casus allegati in materia odiosa & non fauorabili (vnde & saepe fauorizatur causa instituta aduersus vsuras) minimè procedunt, nec locum obtinent, igitur distingue materias & concilabis legum Romanarum scripturas, ideo autem tractatio vsurarum euasit odiosa (non quod vsura sit vocabulum foedum) quia dulcedo earum multos ad malitiam abducit, & inescat nutrimento peccati: per argumen. l. ait praetor §. si quid, ff. quae in fraudem creditorum: Eiusdem etiam dulcedinis abusu factum est olim, vt vsura prius licita suisq; in proprijs terminis concessa, fieret nimis quaestuosa & prorsus inciuilis, degeneraret etiam & transiret in foenerationem excedentem, vt accidit apud plerosque Lugdunenses Mercatores, Item Venetos, & similes alios, qui quasi pecuniae quandam nundinationem exercent, passim accipientes quod est vilissimum, & per omnia, quod est auarissimū, l. solent ff. de officio praesidis. His similes fuerunt olim teste gloss. iuris Canonici, Florētini, Senenses, Pistorienses, Lucani, Astenses in Italia, &c. q diuersas prouincias circumibant ad exercendum vsuras immodicas, qui & tenebant bancam publicā ad vsurarū negociationē, quorū Christus olim zelo di-

uino motus mensarin templo euertit, improbans tandem negociationē ad hos ptinebat quādoq; office ou estat consistant en faict d': Argent baille à prins à interest & vsuræ q huic officio præest eum vocant Galli banquier on argētier, qui consueuit esse propter abusum, si in facto cōtingat, miscreāt & infidele q ne tient rien de Dieu, vt Galli dicūt de talib.

Argentarijs indultū est ex Nouella 136. deberi vsuras besses, etiāsi eū modū vsuris nō duxerint, vt si simpliciter conuenerit vsuras p̄stari, debentur besses, sicut & illud, vt ex pacto vsuras petāt, imò & olim quasi ex tacito pacto petebant vsuras, & tacitè videbātur vsuras pacisci, &c. Ergo licet modus in conuentione vsurarū non sit expressus, tamē debebūtur cōtra quam hoc in loco decisum legitur. Secunda Antiuomia quæ hoc loco occurrit, est talis.

Peculiariter hoc præfatis concessum est, & in exemplum nō trahitur, quoniā hoc est illorū vitæ institutū, vt pecunias fœnori collocent, ideo semper intelligitur tacitū fœnus contractū, quam ob rē in alijs idem non obtinebit, quia si stipulor vsuras modo nō adiecto nulla est stipulatio, iuxta hūc textū: Hinc si annotatum inueniatur, Incertis nominib. hoc est, ascripto solo nomine debitoris in Calendario, neque expressa causa inueniatur, in quam mutuū datū eßet, vt sic nihil ampliuss sciri diciq; possit, in quam causam pecunia mutuò data sit, petitio nulla inde oritur. Itē, quod & supius monui, simpliciter ita scriptum sit in literis, mutuatus sum à te illud et illud, et pacto me ad vsuras obstrinxi, id nō adeo magnū momētū adfert vt vsurarū debitū inducat. Solutio.

L. 32.

Mora) Coniunge l. si quis rogatus 53. ff. de fideicommissa liberta. Cæterùm multa grauia & vtilia accuratè copioseq; à Ioanne Corrasio Tholosa: in hoc capite scripta sunt, ad quæ si cuipiā placuerit, ad se referre poterit, nos nihil inde assumemus breuitatis causa.

Mora fieri) Bifariam mora fit & committitur, primum si dies solutioni præstituta est, eaq; dilapsa solutio nondum sit facta: secundò, si nulla præstituta die post aliquod temporis spacium creditor debitorem interpellet, isq; ab interpellatione deinceps moram trahat, & solutionem differat.

Si interpellatus) Interpellatio requiritur, cùm dies solutioni nullus est præstitutus: Est autem interpellare, debitorem appellare, & facere conueniri pro solutione facienda, antequam iure cum eo agatur. Huc pertinet, bona nomina sunt appellanda ne fiant mala: Et quidem interpellatio adeò necessaria est, vt etsi per 50. vel diutius annorum spacium differat debitor solutionem, tamen non videbitur morā facere nisi interpelletur, est enim hoc relictum arbitrio creditoris, quando velit suum debitum accipere & debitorem conueniri, sed in obligationibus, quæ in diem certum relatæ sunt, vt antè attigi, interpellatio non requiritur, eò quòd in hu certa dies solutioni ex vtriusque voluntate præstituta est, quare debitor debet per seipsum de solutione facienda satis admoneri.

Quod apud Iudicē examinabitur) Cùm in causa

sa ius positum sit, iuxta sententiã Alfeni in l. si ex plagis §. in cliuo ff. ad l. Aquiliam. Item ex facto oriatur ius siue responsum iuris, diligenter erit factum examinandum, quod lex supplere nequit, cùm tantùm suppleat ea quæ sunt iuris, meritò committitur huius rei, quæ in facto consistit inquisitio Iudici, vnde & traditum est, quæstionem facti in arbitrio iudicantis esse, l. 1. ff. ad Turpillianum. Ex hac æquitate Diuus Adrianus rescripsit, se non oportere consuli de facti quæstione, sed quod verissimum in re præsenti cognoscitur, sequi iudicem oportere l. non statim in princip. ff. ad l. Fabiam de plagiarijs l. cùm quidam in princip. ibi, Diuus Marcus, supra eod. l. testium §. ideoque ff. de testibus. Ita principes consulti rem indeterminatam Iudicis officio relinquunt, quod etiam lex ipsa sæpè facit, cùm determinare nonnulla vel non potuit, vel propter definitionis periculum non satis tutum fuit, maximè propter varietatem circumstantiarum in negocio, ea relinquit iudicis arbitrio determinanda vt in casu l. 1. in fi. & ibi Baldus ff. de iure deliberandi l. de accessionibus ff. de diuersis & temporibus c. in causis, & ibi Abbas de officio delegatorum l. si vnquam C. de donationibus in gloss. omnia vel partem aliquam numero 30. & antea per Afflictũ in c. 1. ex quibus caus. feudum amittatur in princ. not. numero 122. & multis sequent. vbi etiam numer 41. idem Afflictus post Baldũ, ibi, & post glo. in l. neq; leges ff. de legib. ponit causas, propter quas solẽt talia à legislatorib. iudicis arbitrio committi:

vbi simul illud bona memoria est reponendum, quomodo videlicet debeant Iudices sibi commissa à legislatoribus determinare. Sciendum itaque Iudices non habere in his decernendis liberas arbitrij habenas, sed debent id arbitrari & statuere, quod vel sit conforme iuri communi, & patriæ statutis, vel moribus & consuetudine obseruatum, vt plenè notatur in l. 1. C. de summa Trinitate, & per Cardinal. in Clemen. 1. de Baptisma. & Alexander in consil. 5. vel omninò id quod æquitati sit magis conforme & consonum, l. quod Ephesi ff. de eo quod certè loco l. etsi §. idem Labeo ff de religiosis. Exemplum huius examinis, quod Iudici permittitur est in l. post legatum §. 1. versicul. prohibendi autem ff. de his quibus vt indignis.

Finaliter in his verbis notandum: Apud Iudicem examin. &c. permitti Iudici, vtpote in bonæ fidei Iudicis potestatem & auctoritatem ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui debeat, §. in bonæ fidei Institu. de actionibus. Ac Harmenop. inquit, in bonæ fidei actionibus ex mora debetur vsura lib. 1. Epit. tit. 3. de furto.

Difficilis est huius rei definitio) Grāmatici contendunt, an potius definitio vel diffinitio sit scribendum, sed hoc parum ad Iureconsultum, Grammatici sæpè fallunt alios, falluntur & ipsi, quod tamen non ita accipi velim, quasi Grammatices studium & inquisitio non pertineat ad Iureconsultum, sed cùm ipsi aliquando nimis anxias & superuacuè subtiles

tiles quæstiones sectentur & in his desudent, consueuit ipsis accidere quod Alchimistis mirabilium fusionum artificibus, qui dum quintam substantiam mixtorum volunt percolare, & emũgere ex concretis, sexta euanescit in auras sine fructu, & fruge futiliter: sed ad propositum, explosis inutilibus subtilitatibus huius vocabuli definitionis, conueniens est secundum subiectam materiam nos potius rem ipsam intelligere, & dicere definitionem, hîc non denotare verbi explicationem, sed regulam, nam definire est regula complecti in Iure, vt cùm multi casus speciales vna aliqua regula deciduntur, iusque de ijs proponitur iuxta l. regula ff. de regulis Iuris.

Cæterùm nulla regula potest comprehendi quando mora facta videatur, necne, cùm sit magis facti quàm iuris, ea de causa difficilem eius definitionem iudicauit Pomponius, licet Accursius ita definiri posse credat, vt sit mora cùm quis maior 24. annis non habens curatorem interpellatus per diei appositæ lapsum, vel per eius cui debetur denunciationem congruo loco & tempore factam, cùm intelligat se debere vel intelligere debeat, nec omissa sit debiti repetendi instantia, si sine causa distulit rei præstationem, vel solutionem in mora esse iudicabitur. Sed certè verius hæc descriptio, quàm definitio appellari potest, quia per eam quædam qualitates tantùm moræ describuntur. Accursius igitur occurrens tenebris non videtur in hoc loco scopũ tangere, primùm quòd regulam definiendi egrediatur,

quippe cùm omnis definitio breuiter substantiam rei definiendæ explicare debeat, eius verò definitio nimis longa est. Omitto quod non habeat specificam differentiam, quam Dialectici bonæ & iustæ definitioni adesse volunt, deinde quod præcipuum est, temerè contra legis sententiam conatus est moræ definitionē ponere impoßibiliter, cùm enim mora sit facti, factum autem incertum nisi specialiter proponatur, ad quæstionem facti in genere & latißimè Iureconsultum respondere inconueniens fuit. Ac non bene incidit hîc Accursius in Iauoleni consilium dicentis, Parum est (sic enim legendum & non rarum) vt definitio in Iure facta euerti non posit l. omnis ff. de regulis Iuris.

Illud hoc loco præterire non possum, Accursium sæpè impegisse quamuis diligens glossator fuerit, et multa legerit, inscitia tamen duarum maximarum rerum, videlicet Historiarum & Græcæ linguæ hallucinatus deprehenditur, quod argumenti satis est, studiosum Iuris, magnam operam ponere debere in Historiarum & Græcæ linguæ cognitione accurata. Nam vt Geometria & Arithmetica sunt alæ Astronomiæ, vt Mathematices periti norunt, & testantur quàm plurimi, ita etiam Iuris Ciuilis historiarum cognitio vel maxima ala est.

(Cùm sit magis facti) Factum (in quo concurrunt plurimæ circunstantiæ, quæ variarum expositionum colores admittunt, & pro interpretis seu enarrantis subiecto variare solent, vt polypus omnium rerum colores quibus adhæret, imitatur) non

potest definiri propter actus hominum tam numerosos, quos si quis in summam compendiariam concludere attentet, nihil aliud sit facturus, quàm mare in lacunulas coercere, vt dicitur cuidam Theologo, qui volebat diuinitatem explorare ab Angulo & quodam genio dictum olim esse, monstrante illi rem præsentem. Hinc Artistæ rectè pronunciant, omnia omninò omnium hominum singularia facta & negocia certa lege comprehendere simpliciter est impoßibile quo ad nos, & Philosophus ait, singularia sub nullam artem & præceptionē cadunt.

De peculio habebit) Ad hunc locum refer titul. ff. de in rem verso. Item quod iussu, nam quæ hic proponuntur ex allegatis locis facilè interpretationem capere possunt: Est autem sensus, cùm peculium filij à patris bonis non separetur, filio conuento defensionis neceßitas patri imponenda est, l. ex castrensi §. si quando ff. de castrensi peculio, sed attende peculium, quia de peculio solummodo actionem pati cogendus est pater propter æs alienum, quod filius fecisse dicetur, iuxta hūc textum, &c.

Sed si duo rei) Vnicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi obseruatur, l. in condemnatione §. cùm verbum ff. de regulis iuris, ita quilibet in hoc negocio portat & baiulat suam sarcinam, sic cessatio vnius legati ei qui munus vt oportet, obijt, non incommodat l. 2. ff. de legationib. omnibus enim modis prætor prospicit, ne alterius causa ex alieno facto fiat deterior l. 1. ff. si quis iudicij mutandi cau. &c.

Sed vtilis actio in hunc dabitur) Actio vtilis datur non quidem ex verbis legũ, sed ex mente earum l. penul. ff. si quadrupes pauperiẽ fecisse, &c. & quidem hæc actio vtilis designatur per verba: ad similitudinem, ad exemplum, ad instar. &c. sic verbum Accõmodare est propriè actionum vtiliũ, docuit me hoc Iacobus Cuiacius Biturigib. in Gallia anno 1561. mense Octob. 17. Proinde quædam actiones nascuntur ex facto, quædam autem sunt in effectu, quæ in factum in iure appellantur: Harmenop. lib. 1. Epito. tit. 3. de minorib. vnde & notum est actionem vtilem seu in factum ciuilem dari, quoties deficit alia propter dubium contractum l. quoties ff. de præscriptis verbis: Interim tamen alia est actio vtilis, alia directa l. in causæ in fi. ff. de procuratorib. l. final. ff. de sententiã pass. & restitu. Interdicta quidem redduntur directa & vtilia, diuerso tamen hoc fit respectu, ne fiat rerũ confusio: directa quidem actio sæpe non competit vtilis tamen: vt hîc vides l. restitutio C. de exhibẽdo, Sed cùm vtraq; eundem habeat effectum eiusdemq; sit potestatis, l. 47. ff. de negocijs gestis in harum actionum distinctione, nisi hac fiat docendi causa, non erit magnoperè desudandum.

L. 33.

Si bene collocatæ sint) Scilicet per aliquem fortè Decurionem seu Senatorẽ, qui in Repub. aliquid gerit: vide l. 2. ff. ad Municipalem: vel etiam Syndicum quem Galli vocant Syndic et procureur d' vne communaulte.

Non

Non acerbum se exactorem) Hîc aßignandū est officium gestoris Reipub. in exactione vsurarū, quæ mitis esse debet & clemens, traditurq́; modus exactionis in creditoribus, quod videlicet efficacia lenitatis illis conueniat debita sua exigere. Ac certè si quis nimis acerbum se exactorem præberet, videretur potius extorquere quàm exigere, incurreretq́; cum magno suo damno in offensam l. creditoris ff. ad l. Iuliā de vi l. extat ff. de eo quod metus causa. Cùm enim parentis vicē administrator Reipub. plebi exhibere debeat l. 4. C. de defensoribus certè ab eo nihil insulse, nihil seuerius, nihil terribilius agendum est, astipulatur his l. 1. C. de assessoribus. Denique nihil insolenter agendum esse patet ex l. 4. & 5. d. tit. de defensorib. huc pertinet dicterium germanicum non inelegans, mit jederman freuntlich vmbgehen / kan keinem ehrlichen vbel ansthen. *Ac in summa, acerbitas in omni genere functionū prohibetur, ita pater non debet esse acerbus erga filios suos l. 1. in fi. ff. de liberis exhibend.*

Sine pignoribus idoneis) Iuxta mentem huius loci pecunia publica sub pignoribus credenda est, exemplum suppetit in l. Titio §. Titius ff. ad Municipalem, vbi dicitur pro pecunia quam ipse credidit pignus accepit. Planè vice solutionis sufficit, vt quis aut pignoribus aut fideiussoribus caueat l. rescripto §. planè. ff. de munerib.

L. 34.

Iudicant docti hoc caput desumptū esse ex tit. de pe-

de petitione hæreditatis, breuiter itaque in supplementum huius sciendum, quod quando hæreditas petitur & vindicatur, non nudam eam quasi quoddam abstractum repeti, sed cum suis (vt ita dicã) naturalibus vestimentis, & sua causa, & omni commodo fructuq́.

Vsuræ vicem fructuum) Illud certum est, in vsurarum solutione fructus imputari & loco fructuum vsuras succedere Vlpia. in vicem. vsurarum fructus cedunt, l. is cui §. quæri poterit ff. vt in possessione legatorum, species etiam refertur ab eodem in qua & vsuras vicem fructuum, & econtrà fructus vicem vsurarum obtinere respondit.

Antinomia.

Videntur hæc infirmari posse ab aliquo dicente, non rectè hæc esse ab Vlpiano prolata, siquidem aliud sit fructus, aliud vsura.

Solutio.

Hoc non facit infringi Vlpiani decisionem, & quidem ratio est cur ille ita locutus sit, cum pecunia data ad vsuram tantùm fructus lucri, & quæstus afferat & gignat, quantum fructus qui ex ipsa re & corpore aliquo percipitur, assentiendum est adhuc Vlpiano dicenti, vsuras vicem fructuum repræsentare, & hoc propter conuenientiam & proportionem similitudinis, à qua multa bona argumẽta & probationes desumuntur in Iure, non tamen vsuræ idem prorsus sunt quod fructus, vt intelligitur, cùm dicat Iureconsultus vsuram vicem fructuum referre, vbi per verbum vicem, similitudinẽ ol-

facias

facimus, quadam fictione iuris quæ iureconsultis non est infrequens. Ita sæpe quis per honestam fictionem vtilitate hominum exigente vice absentis habetur licet præsens sit l. si nautis §. 1. ff. ad l. Iuliam de adulter. nec tamen licet fictione vtatur, fictitium Ius dici potest, quippe quod ita fingat facit hoc propter vtilitatem hominum, cui vniuersa iura famulãtur, Adde quod fingere apud Auctores sæpe pro æstimare accipiatur, Virgi. lib. 2. Æneidos. Nec si miserum fortuna Simonem Finxit vanum etiã mendacemque improba finget. Luca. Finxit in æternum causas, &c. Ita ius etiam existimat & non simulat, non vendit fumos aut bullatos colores sine rei existentia, nulla vtitur vanitate, neque obiter aut velut per transennam, sed constanter, apertè, verissimè omnia exequitur & proponit in vtilitatem hominum, neque vt aliquis hominum posset, dat nugas, accipit aurum, &c.

Et ita in legatis) Coniungit hîc legata & fideicommissa, quia illa æquiparantur, & iisdem ferè regulis comprehenduntur. Illud mirum alicui videri posset cùm hîc de vsuris agatur, de quibus in bonæ fidei Iudicijs tractari consueuit, cur legata et fideicommissa, cùm bonæ fidei iudicia non sint, illis tamen applicentur, sed dicendum, quanquam ipsa bonæ fidei iudicia non sint vsurarum, tamen & fructuum præstationem admittunt, propter quasi contractum l. 3. §. vlt. l. cùm quidam in fi supra eo. quod idem sic intelligi potest: quando res legata est, siquidem propria fuit testatoris, & copiam eius

hæres

hæres habeat, moram facere non debet, sed eã absque moratoria cunctatione præstare, qua intercedente vsuras & omnem vtilitatem præstandam Sabinus ait, l. 46. in princ. ff. de legatis 1. ac Vlpian. asserit, omnem rei legatæ vtilitatem ab hærede præstari oportere l. cùm res ff iam d. titul.

Hoc idem in cæteris obuentionibus) Per obuentiones haudubiè etiam reditus intelligit anniuersarios, quos ex prædijs nostris percipimus, vt stipulari vsuras simile sit, imò idem illi contractui, quo nobis per instrumentorum interpositionem hodie ex pecunia anniuersarias pensiones & reditus acquirimus, qui reuera nihil aliud sunt quàm vsura, vt superius ex Scæuola docuimus. Sed honestiore vocabulo, vt arbitrantur, reditus vocant communes, Germani Renten *dicunt vulgatißimo nomine, vt & Galli vocant, Psalmo 38. Et iouyras de rente vraye & seure, vt ibi dixit Francicus interpres, Imò tanquam certæ decisionis loco præcedentibus ita præmissis, et in proposito fortius dicetur, omnes reditus ex prædijs & villis perceptos & percipiendos vsuras rectè & ordine vocari, & sic senserunt antiquioris æui & purioris eloquentiæ Iureconsul. l. alumnæ ff. de adimendis vel transferendis legatis. Alij negant, inter quos fuit olim Vrbanus Regius Psal. 15. emptionem redituum esse vsurariã contra antiquos Iurecõsultos, qui ita sunt locuti, est enim verè vsuraria, quippe in his reditib. anniuersarijs, venditur vsus pecuniæ, quod idem contingit in vsuris, ac vẽdere vsum pecuniæ per se non est pecca-*

rum, aliàs locatio & quædã aliæ species illicitæ essent, in quib. non solùm rerum, sed & personarũ vsus venditur, interdũ tamẽ vitiosum est propter circunstantias, vt in egentib. Et quidẽ hic contractus emẽdi reditus anniuersarios licitus est, vt & nemo ambigit, cum auctoritate Cæsaris & totius Imperij approbetur, Estq; hoc indultũ intimato decreto Imperij in cõuentu Vuormatiensi, vt videlicet 100. florenis coẽmantur quinq; annui reditus. Aduerte igitur quod hæc emptio sit collocanda iuxta Imperij ordinationẽ inter licitos et iustus cõtractus, sed si plus accipiatur (quod vereor ne fiat) redditur illicitus. Aliquando tamẽ secùs se hoc habet, vt cõtingit in cõtractu pensionis quam appellamus die leibzucht, vbi grauior vsura non improbatur, eò quòd repetitio sortis expiret cum fine vitæ hominis, qui eum cõtractũ inijt, at non solùm repetitio sortis, sed & reditus ipse quasi vsusfructus moritur cum homine l. vsumfructũ ff. de vsu & reditu &c. Ceterũ in hoc casu consueuerunt 10. de centũ dari aut etiã plus.

L. 35.

In contractibus stricti iuris non veniunt vsuræ ex mora vt in contractu transactionis, tanquã stricti iuris l. si maior C. de transactionibus, sed in his tantùm currunt vsuræ lite contestata, vnde Papinian. dixit, in iudicijs quæ non sunt bonæ fidei nec arbitraria post litẽ contestatam actori causam præstandam esse l. 3. §. in his, sup. eo. sed in fideicõmissi persecutione & in bonæ fidei iudicijs etiam ante litis contestationem, si hæres in mora sit exinde

fructus

fructuum præstandorum necessitate astrictus est, l.3. versicul. cæterùm si antequam, sup. eod. Hoc loco opportunè vulgaris illa quæstio clarius explicari conueniens fuerit, vtrum videlicet vsuræ ex mora an litis contestatione debeantur, propterea quod in l.1. & 2. C. de vsuris legatorum seu fideicommissorum vsuræ non nisi ex eo tempore quo lis contestata est, deberi dicuntur.

Antinomia.

At Vlpianus in l.1 §. bellissimè, ff. vt legatorum caus. manifestè scribit, ex mora incrementum vsurarum & fructuum in fideicommisso venire, adde l. si cui legatum ff. de conditionibus & demonstratio. l. Titia §.1. ff. de legatis 2. quod videtur esse contra præallegata, nam hîc Vlpia. etiam ante litis contestationem vsuras deberi ex fideicommisso non soluto per moram affirmat, rem omnem paucis verbis sibi expedire visus: dicendum itaq;, quod & ante, & post litis contestationem vsuræ deberi possint.

Solutio.

Omnes ferè interpretes vno consensu vt euitetur hæc Antinomia intelligunt l.1. & 2. C. de vsuris legato. eo casu verùm esse, quo ante litis contestationem nullam moram hæres interposuit, si secus statueremus oriretur pugnantia non leuidensis, & quidem hac solutione D D. iam acquiescemus. Quod autem plærique ex hoc loco statuere volunt, post litem cōtestatam vsuras semper deberi, etiam in strictis iudicijs, existimantes nimirum ipsa

ipsa litis contestatione semper moram declarari, ex qua vsuræ peti poßint, falsum esse quidam autumat, inquiens, si enim non sunt promissæ quomodo debebuntur? ad quod dicendnm, debebuntur ex mora quæ declaratur per litis contestationem, & eo ipso quod lis contestatur vsuræ nō desinunt currere, neque cessant deberi, quod ipse non negauit, multo minus etiam lite contestata vsurarum stipulatio perimitur, l. 1. C. de iudicijs si secus statueremus, actoris causa redderetur deterior per litis contestationem, quod vice conuersa verum est. Audi Harmenopolum iudicem Thessalonicensem, per litis contestationem plerunq; melior fit causa agentis, &c. lib. 1. Epito. tit. 2. de fiscalib. adde l. non solet ff. de regulis iuris.

Atqui per litis contestationem prima fronte nouatio quædam & transfusio prioris contractus in alium statum, cœptoque iudicio velut iniri contractum nouum, & aliud quiddam contingere facto transitu in mutationem priorum videtur. *Antinomia*

Hoc ratione consentanea nō potest applicari ad stipulationem & debitum vsurarum, quippe hoc in sua essentia & robore persistit, licet interuenerit litis contestatio. Adde quod nunquam nouatio inducta videatur, nisi id contrahentes ex proposito egerint, cùm nullus in dubio præsumatur suum ius deteriorare: Illud negari non potest causam post litem contestatam actori victori restitui oportere, cuius nomine fructus quoque veniunt, vt semper fructuum siue vsurarum post litem contestatam Solutio.

ratio habeatur, vt hoc modo hîc quidam alios, vt antè dixi, immerito reprehendisse videri poßit, ille quidam ad arguendum eos, infert, vsuras vicem fructuum referre, idq; in legatis & fideicommissis obseruari, quasi verò non etiã in alijs, vt disputabile est, hoc pacto: si vsuræ referant vicem & similitudinẽ fructuum propter commoda, quæ inde proueniunt, & percipiuntur, econtrà fructus vicem vsurarum referre euidens erit, vt suprà à nobis declaratũ est, de reditib. quos vsuras vocauimus ex sententia Iurecõsultorum veterum, vnde non potest negari, lite contestata semper causam deberi vel vsuras actori, quatenus vsuras pro omni commodo & lucro accipimus. Cæterùm breue quidem est hoc caput, multa tamen in paucis comprehendit, & per breuitatẽ multa insinuat. Et quia hoc loco fit mentio litis contestatæ, exponẽdam hîc duxi meam sententiam de eius ordinatione, in qua nonnulli mihi falli videntur. Deducimus itaq; secũdum veritatis intentionẽ omni studio indagandam, litis contestationem, quæ fundamentum est iudicij per solam narrationem facti (vt aliqui non bene existimant) & secutam responsionem regulariter non induci, nisi ipsam narrationem petitio, hoc est, libelli conclusio, & partis alterius responsio sequatur, Statuant alij quicquid velint, manẽdum est cum legib. rectè intellectis. His consequenter vt Corolarium addimus: in litis contestatione, nec verba nec partis vtriusq; præsentiam necessariã esse, sed proposita narratione & petitione illis per interuallũ ex aduerso in scriptis respon

deri

deri sufficere, hanc tamen narrationem & petitionem vt litis cõtestatio valeat in iudicio proponi, & postea secutam responsionem animo litis contestandæ fieri & cõgruam esse debere, asseueramus, vnde si quis per suam responsionẽ litem contestatã nolit, id quidẽ ꝓtestatione scilicet se quidẽ respõdere velle, non tamẽ animo litis cõtestandæ, eũ facere posse dicimus, vnde in libellis addi solet, vt ex facto didici, hæc clausula, sine tamẽ litis cõtestatione: et quidẽ finaliter congruã responsionẽ tunc factã censeri, cum vel confitẽdo, vel negãdo ipsa celebrata fuerit.

L. 36.

Hoc caput ita summari potest, rusticorum prædiorum, Item domuum pensiones inter fructus computantur, cùm tamen ipsa domus & officia sterilia sint, non tamen hoc simile illis, quod exinde accipitur. Vides ergo quomodo vocabulum fructus apud Iurecõsultos largo significatu accipiatur. Porrò ꝑdia vrbana hoc loco accipiũtur ꝓ ædificijs vrbanis.

L. 37.

Deductio textus secundum ea quæ proponuntur summaria & capitalis: cũ aliquis mea negocia gereret, vidit creditores meos mea pignora vilissimo precio velle vẽdere, vt me hoc detrimẽto liberaret, quãuis suã pecuniã in vsum ꝓpriũ potuisset vtiliter cõuertere, tamẽ officij causa ꝑstandi mihi eos suis ipsius numis dimittit et expedit, qua de causa Vlp. ait, vsuras erogatæ et expẽsæ per aliũ meo nõie pecuniæ iustissimè ei deberi, quod nõ absq; ratiõe dicetur, Et qs adeò est oĩm rerũ impitus et iniquus æstimator

 qui

qui hoc Vlpiani responsum improbet? nam si nullas vsuras negociorũ gestor superasset, passus fortè fuisset, me in damnum non contemnendum incidere nec iniuria. Nam vt præclarè Cicero scribit, sibi vt quisque malit quod ad vsum vitæ pertinet, quàm alteri acquirere concessum est, non repugnante natura, qualis scilicet ea nunc est auarissima, & lucri auidissima. Vide quæso humanissime lector, multi execrantur vsurarum exercitium penitus, & vndique semel pro semper, sed vsura est filia temporis, crescit cum corruptis hominũ moribus, & cum filijs seculi huius, qui nihil nisi pecuniam quærunt, interim nihilominus incrementa vsurarũ iam cum cæteris rebus excessum habentibus detrimentosum multis alijs, permittuntur: Omnia nunc cariùs venduntur quàm olim, quod nemo negare potest,

Terra malos homines nunc producat atq; pusillos,
Aurea nunc Roma est, venduntur & omnia carè,
Crescunt vsuræ, rerum precia vndique crescunt,

vix præ sumptuosis vestib. quas gerit minima pars est ipsa puella sui, ait Ouidius. Auro summa fides, quod dum acquiritur, quædam quasi venatio vsurarum instituitur, O aiunt Senes albis capillis venerabiles, quàm fœlici tempore nos viximus, ego memini, dicit vnus & alter, modium hordei, tritici, siliginis, panici, &c. tam vili precio emi, nunc bone Deus alia res est, duplo pluris iam venditur, ita olim erant omnia in leuiori annonæ caritate, nunc aliud est, degeneramus quotidiè dissimiles facti prædecessoribus nostris, omniaq; ad interitum vergunt

gunt spectacula forsan, arbores iam testantibus rusticis, & deterius & tardius crescũt quàm olim, terra senescit cum hominib. malitiosis, quia omne malum, iuxta Aristotelem, est destructiuum suijpsius, πᾶν κακὸν φθαρτικὸν ἑαυτοῦ,

Obstupuit mũdus, dolor ab quem commouet vllus,
Ante oculos siquidem tot mala quisque videt.
Nã velut extra ipsum iam machina truditur axes
Et quasi sit casu corruitura graui.

Scribunt & Mathematici quidam, inter quos Reinoldus Salueldensis est, Eccentricitatem solis plurimum decreuisse, ita vt sol nostra ætate borealem circulum citiùs quàm olim pertranseat, & Copernicus demonstrauit anno Christi 1515. apogæon solis recessisse à linea solstitiali in consequentia partibus 6. cum besse vnius penè. Hæc scribit præfatus auctor in Theorica ☉ Purbachij in Theoricis planetarum, &c. Et nuper quidam scripsit de exustione mundi futura, sic optimi quique censuerũt, alij in contrarium dicentes, nihil tempora præsentia differre à præteritis, quod & Historiarum documentis probare constanter videntur, & tempora sunt eadem, frustra expectas meliora: certè quoad vsurarum tractatum, nihil differunt hæc tempora à præteritis & lapsis, cognosce hoc paucis ex vsu vsurarum, qui fuit apud Græcos, qui dicunt ἐργάζεσθαι τὸν βίον victum quærere & vitam ex aliquo quæstu tolerare, est enim ἔργον, quæstus, Demosthen κατὰ ἀφόβου τὸ δ' ἔργον τούτων τῶν χρημάτων πεντήκοντα μναῖ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου, hoc est, quæ-

stus & vsura &c. sed prolixius esset hæc perse qui, vide tu si placet commentaria Budæi in Græcam linguam folio 370. indicasse locum sufficiat, quia in re bona maximũ abusum passa vix possum proferre multum verborum &c.

Eas quæ in regione frequentantur) Hoc est, quæ vsitatæ sunt, id enim importat verbum frequentare, vt quorum sit frequens vsus, & frequentare scholas pueri dicuntur, quas sæpè adeunt, cætera huius loci pertinentia attigimus libr. 1. supra eod. & l. 29. in mutatione iuris.

Vtiq; si plus) Tenendum hoc loco procuratorem non plus ex bona fide vsurarũ nomine consequi posse, quàm ille commodi attulerit alicui. Neq; enim vtiliter videbitur gessisse, qui id fecit, ex quo plus damni fuerit quàm lucri, l. si verò non §. simili modo ff. mandati. Requiritur igitur, vt quis vtiliter gesserit, pro eo quod vsuras poscit.

L. 38.

Fructus quoq; restituendi sunt) Quia perinde est, atq; si nihil actum atq; datum esset dotis causa, quippe teste Paulo in l. item quippe ff. de pactis Cùm stipulatio dotis causa facta est, ante nuptias malè petitur; quasi hoc expressum fuisset, nuptijs non secutis, ipso iure stipulatio euanescet, quia dos tantùm matrimonio cohæret, & eius oneribus confertur l. dotem ff. de castrensi, &c.

Sed etsi per mulierem stetit) Videbatur quod non deberet sponsas hic, saltem olim spe, si non re sponsus, restituere fructus cùm mulier impedimentum

tum præstitisset nuptiarũ non secutarum, sed contrarium deciditur ob maius periculum euitandum, quia nisi pro muliere responderetur de fructib. restituendis, in præsenti casu in quo per mulierem steterat &c. poterat negligere sponsus fundum. Estq́ hæc ratio decisionis. At quid si negligat fundũ, & ita euertat spem fructuum in damnũ & detrimentum mulieris, per quam steterat &c. ad quod dicendum, non impunè eum neglecturum, imò si neglexerit per contemptum, & ita fructus non perceperit, æquè obligatus erit: disputatio huius loci est elegans, ac non tantũ quæ hîc dicuntur referẽda sunt ad vnam causam dotis, sed in alijs similib. idem valere debere rectè putarim, quod & probatũ video.

Item si indebitum) Condictio indebiti heißt ein widerforderung außgebens gelts/ dz man nit schüldich gewest ist/ vbi quærendũ propriè, an vsuras datas repetere liceat condictione indebiti, & quidè primò videtur quòd non liceat repetere de iure ciuili, si sint indebitæ solutæ propter naturalem obligatione. qui enim ab initio ad earũ solutionẽ se obligauit temerè, inde eũ resilire posse disconueniẽs videtur: sed tamen hoc distinctionem requirit & indagationem altiorem: Si debitor promisit minores & præstitit maiores, aut ignorans id fecit, aut sciẽs, si ignorans errore abductus quod amplius præstitit, quàm tenebatur, sorti imputabit, eamq́ minuet l. creditor §. vl. ff. de solutio. si sciẽs prudensq́ tacitè videtur pactus de maiorib. quod referẽdum est ad l. qui semisses, sup. eo. quia ex p̃stationе inducitur

citur tacitum pactū, ergo quas soluit iam non condi cet, nec sorti imputabit, quia natura debētur ex tacito pacto. Attamē deinceps eas nō p̄stabit inuitus, quia partis præstatio non infligit obligationē, quæ non fuit ab initio l. 7. C. hoc tit. l. vt. C. ne vxor pro marito l. operis, ff. de operis liberto. Eandem rem ista Ius Ciuile illustrat, vsuræ indebitè solutæ in sortem nondum solutam imputantur, &c. vide l. 18. C. hoc titul. l. si non sortem in princi. ff. de condict. indebiti, vbi Accursius corruptè legit, sorti debitas legendum, vt Florentina lectio habet, sortis debitæ, hoc est, nondum solutæ. Iam ante soluta sorte, si postea vsuræ indebitè sint solutæ, non imputantur, sed repetuntur, Paulus 2. senten. titul de vsuris. Huc pertinet amplius, quod ait l. 18. C. hoc titul. exclusa Iuris varietate, nam veteres hac in re pugnabant, omnes admittebant imputationem, nondum sorte soluta, repetitionem alij admittebant, alij non, & qui non admittebant non carebāt ratione, nam usuræ etsi indebitæ sint, tamē ex iusta causa soluuntur, velut ob moram, cui pœna non est addita. Quam ob causam etiam hodiè pœnæ indebitè solutæ condictio non est, l. pœnæ ff. de condictione indebiti: vt si ad diem sors non solueretur, & non sit conuentum de pœna, nihilominus tamen debitor per errorem soluerit pœnam ob moram, illius pœnæ non erit condictio, vsuræ erit condictio, sublata veteri varietate.

Mutatio Iuris in hoc articulo.

Ius Canonicum earum repetitionem concedit,

quoni-

quoniam Iure diuino sunt probibitæ, attamen non hoc simpliciter, sed per modum & viam recompensationis, vt sit æqualitas. Prodicus, δίς τι καὶ λάβοις τι quippe Pergami est statututum, quod repetentes vsuras in foro Ecclesiastico, audiantur quidem, sed per potestatem cogantur vsurario mutuare tantam pecuniam à tanto tempore, quanto tenuerint pecuniam vsurarij vt sit æqualitas, vtrinque, obserua autem hîc recompensationem vsurariam.

Huc valde pertinet & sequens species recompensationis, quicunque actores tam masculi quàm fœminæ, ante præfinitum tempus debita exigunt, eoq́ modo reo incommodant, aliud tantundem tempus, vt est Institut. de exceptio. vbi etiam Theophilus, expectent, quanto id anticipare conati sunt, interea nulla vsura dependeda, & hoc tempore decurso actionē suam non aliter intentent, quàm si præcedentis comparitionis itinerisque fortè sumptus huius intuitu factos, ei repēderint: hoc etiam annotatum est apud Harmenopol. lib. I. Epitom. titul. 2. de fiscalibus.

Porrò maxima ratio est, cur vsura restitui debeat (per condictionē aut ob turpem causam repeti debet) nam vera pœnitentia cōplectitur restitutionem iniusti lucri, neque verè ducitur pœnitentia, qui, quod iniustè poßidet, adhuc retinet, vnde & fœneratores excellentes vrgeri deberent condictione vsurarum ipsis indebitè solutarum, & talem quidem pœnitentiam agere, qualem ostendit Zachæus

Lucæ 19. cap. inquiens: si quid aliquem defraudaui reddo in quadruplum.

In Fauiana) Iulius Paulus lib. 3 senten. tit. 3. legem Fauianam appellat, vbi lex accipitur pro edicto vt in l. 1. §. 1. ff. vnd. cogn. & apud Ciceronem l. annua, apud Varronem lex prætoria.

Atque si nihil alienum esset) Hoc est proprium actionis Paulianæ, in eaq; perinde ac si tradita à debitore res non fuisset, dicunt solenni formula. Si apparet eam rem in bonis debitoris mansisse, ait Theophilus in §. Item si quis Institu. de actionibus.

Plenam habet significationem) L. in condemnatione §. cùm verbum ff. de regulis iuris.

Vt omnis causa & fructus restituantur) Vsitata est phrasis Iureconsultis, causam restituere, simile est in eadem causa sistere, cùm ius actoris ad experiendum non redditur deterius, & in summa alteri integrum suum ius, & omnem illi competentẽ vtilitatem reddere, est causam restituere, Itẽ causa rei restitui dicitur, quando omne recipit petitor quod habiturus erat, si eo tempore quo iudicium acciperetur restitutum illi fuisset petitum. das angesprochen gut/*l. præterea ff. de rei vindicatione l. cum fundus ff. si certum petatur. Huc refer iustitiæ effectum, qui est ius siue meritum cuiq; suum tribuere, quod non faciebat ante aliquot annos Iulianus d. Cæsarinis (est nomen hoc familiæ) vindicant sibi per cuiusdam pompæ vanitatem arma Vrsinorum & Columnensium ab ipso aliena (sunt autem Vrsini & Columnæi nobilißimi in Italia, ex*

quos

quorũ familijs multi summi Pontifices extiterunt) in hunc modum, alligabat Vrsum cum columna per catenam, versus contra eum hi sunt:

Linque Aquilã Imperio redeant propria arma Co-
Vrsinis vrsus sola catena tua est. (lumnis,

Ecce mundi vanitatem: Sed tu O Domine facies imaginem eorum, hoc est, impiorum contemni in ciuitate, id est, in Ecclesia piorum, velut somnium expergiscentis, vt ait Psalmus 73.

Debuisset præfatus, relinquere causam & fructum alienorum armorum proprijs familijs. Potuisset & idem falsi accusari ex l. Cornelia. Sed hæc hactenus quasi per parenthesin sint dicta, ad rem iuridicam reuertamur.

Post moram) Sicut in vsuris constitutum est, quæ in bonæ fidei iudicijs non nisi ex mora debentur, ita & hic cùm hæres moram facit in soluendo legato, debet fructus rei legatæ post moram, quoniam ea quæ ex animalibus dominio nostro subiectis nascuntur, nobis acquiruntur §. item ea: Instit. de rerum diuision. ex quo facilè & euidenter intelligitur, equis per fideicommissum legatis post morã hæredis fœtus quoq; deberi, quod intellexisse oportebat.

Accedunt) Quia accessorium sequitur naturam sui principalis. c. accessorium, de regulis iuris in 6. item effectus suam causam attestatur & sequitur, sicut filius matrem quemadmodum & vsura principalis obligationis accessio est & sic demum gradatim incrementum pecuniæ.

L. 40.

Quod ad sensum huius loci attinet, ita Pomponius ait, si creditor pluris pignus vendidit quàm ipsi debitum fuit, tunc demum ab eo vsuras deberi scribit, cum superfluo vsus est, nam si depositum habuit contra respondit l. quamuis in fi. ff. de pignoraticia action.

L. 41.

Vide & repete ea quæ diximus l. 1. §. nec tamen Iudex, infr. eod. nam declarant hanc legem euidenter. Huc etiam pertinet illud germanicorum practicorum, Es ist geurteilt / aber vbel appelliert / vnde & hîc ait, si frustrationem, &c. & hæc frustratio nihil aliud est, quàm fallax mora, ita frustrant illi qui qualibet tergiuersatione efficiunt, ne cum illis agi poßit, frustrãt & nonnulli procuratores qui causam nimis diu protrahunt, qua in re non laudo magni cuiusdam scriptoris sententiam, aientis, non est dignus nomine procuratoris, qui non possit causam per triennium suspendere, sed hæc fallax procrastinatio & temporis extractio, quæ fit cùm maximo partium dispendio non debet esse impunita, nec prodesse alieni l. etsi §. penul. ff. ad exhibendum l. 1. ff. de dolo malo. l. si duo ff. si quis cautionib. l. verũ est 63. §. tempus ff. pro socio: denique quod frustratio puniendà sit exemplum insigne est in l. eius qui ff. de appellationibus recipiend. Ac Popinianus dixit, frustrationem non oportere esse impunitam l. 3. in fi. infr. eod.

Practica vsualis.

§. Lucius

§.Lucius Titius) Huc propriè spectat quod Azo ait tit. C. hoc titul. aliquando fieri depositionem & consignationem ad sortis tantum liberationem, aliquando ad vsuræ, aliquando ad periculum liberandum & euitandum.

Proinde in hoc §. euidenter colligitur quod creditor inuitus non cogatur particularem solutionem admittere si nolit l. quidam existimauerunt in prin. ff. si certum peta.

Ein gleubiger ist nit schüldich ein theil des gelts seiner habender schuldt zunemen/ Es were dañ der vberig theil nit lautter auß findich vnd bekentlich/ so muß er nemẽ was liquidirt ist/ Bart. in d. l. cùm quidam, nec me mouet quod aliquando hæc in contrarium audiuerim disputari ex grollatoribus glossato. inqu m. *Practica vsualis.*

Verũenimuero in fideiussorib. tenetur particularem solutionem admittere, quia non res, sed persona conuenitur diuisim, vnd es ist schüldich von einem jeglichen burgen sundertheil vnd gebür zunemẽ/ l. in his §. si duos ff. de solutionibus, et Angelus in l. qui pignori ff. de pignorib. Interim tamen non diffiteor naturam mutui esse non admittere particularem solutionẽ ne sit creditor deteriore conditione, quàm mutuatarius, idemq́ debitor.

Attamẽ cùm ex causa necessitante debitor possit cõpelli vt soluat debitũ ante diẽ, quod videtur esse durissimũ, poterit & creditor ex causa compelli, vt agnoscat partem debiti vtrobique militat eadem ratio, Ergo quoque idem ius erit. Ac certè si

debitor

debitor ex causa interdum suum meritum potest onerari vt soluat ante diem, videlicet propter paupertatem creditoris sui l.1. C.de condiction.ex lege, cur non creditor vicem compensationis referret suo debitori? agnoscendo in simili fortè paupertatis & angustiæ pecuniariæ casu particularem solutionem, quod & humanius est, & ita accipio l.cùm quidam ff.si certum peta. alij detorquent inde alium sensum contra mentem Iureconsulti, malè.

§. *Ab Aulo*) Si non apparet de quibus vsuris) In re obscura melius est fauere repetitioni, quàm aduentitio lucro l.non debet in fi.ff. de regulis Iuris l.at si quis §.2.ff: de religió. & sump. Quocirca respondit Iureconsultus, in obscura eiusmodi de vsuris conuentione melius esse fauere repetitioni, hoc est, succurrere creditori, illique actionem dare qua mutuum condicat, quàm ad exactionem lucri aduenticij, qualis est vsura quæ extrinsecus accedit, eidem gratificari: Et in summa incertitudo vitiat vsuras. Huc spectat l. si duo Titij, ff. de testamentaria tutela. Ita enim alternis annis aliquibus aliquid conceditur, in dubio si non concordant, se mutuò impediunt. Quo pertinet illud, sæpè non deest nobis Ius sed probationes, ita non possumus legare fundum non demonstrato fundo aut stipulationem facere in incertum fundum, de quo non adhuc liquidò constat, neque enim sine corpore & certa quantitate huiusmodi fiunt, l.cum post §.gener, ff. de his quibus vt indignis, &c. Consule insuper ea quæ diximus suprà l.31. antinomia 2. vbi quædam

dam exceptio huius loci proponitur.

Huc pertinet quod in materia stricta qualis est vsurarum illud censetur omissum, quod non exprimitur l. si cùm dotem ff. soluto matrimo: l. commodissimè ff. de liberis & posthumis, c. cui, de verborum significationibus, quia in odiosis no fit extensio de vno ad aliud, sed verba debent propriè & strictè capi iuxta gloss. in c. susceptum de rescriptis in 6. ac quod sit materia odiosa conuentio vsurarũ patet ex c. vnicæ de vsuris in Clementinis. Simile vel potius idem est & hoc in constitutione odiosa appellatione vnius, reliquum non venit cùm non fiat extensio ad omissum etiam ex maioritate rationis c. si cui domino, inf. de præbend.

Illud certè hoc in loco prætereundum non duxi, in proposita quæstione quædam esse ἄπορα argu. l. qui quadraginta ff. ad l. Falcidiã, siue dubitabilia, nam certũ est quod in dubijs vbi nescitur quid expressum, quid actũ sit, vt & hic, quæratur plerunque cõmoda interpretatio vt multis locis demõstrari potest l. cum inter C. de fideicommissa. libertatib. l. si idẽ sermo ff. de lega. 2. l. 1 ff. de reb. dubijs cum cõcordan: ex quibus constat, incertitudinẽ rerum interdum vitiare præsentem contractũ & negocium, interdũ non, quod quando fiat, & quando non, prolixũ esset constituere, et in regulã aliquã conijcere. Vnũ studiosus iuris in hoc ante oculos habeat velut Cynosuram quandam. Lex ad ea quæ iuris sunt supplet, non verò facti (est autem factum causa caput & effectus, iuxta Harmen) & pro hac distinctione

incero

incertitudo rei vitiat, vel non vitiat, exempli causa: verba vltimæ volūtatis dubia si iuris sunt ex ll. interpretatio addenda est, l. medico ff. de aur. & arg: sin verò facti sunt, nullam vim habebunt, nam ea quæ iuris sunt lex, vt dictum est, tantùm supplet l. quæ conditionibus C. de conditionib. & arg. l. 2. C. de Iurisdictio. in quibus benigniorem interpretationem sequimur, sed in his quæ facti sunt, nō item, quæ distinctio mihi concinnißima videtur. vsus est illa etiam olim I. C. Iacob. Boniour in Gallia Auenioni & Biturigibus, cùm excuteret l. duo Titij. ff. de testamentaria tutula, reiectis Accursij frigidißimis distinctionibus, l. si fuerit, ff. de rebus dubijs.

L. 42.

Ad fideicommissarium) Quiā omnis fructus nō iure seminis, sed iure soli percipitur l. qui scit, sup. eod. cùm autem solum pertineat ad fideicommißorum, etiam perceptio fructuum ad eundem pertinebit, quamuis potior pars anni ante diem fideicommißi cedentem seu deberi incipientem, lapsa esse dicatur. Huc facit quod Bartol. ait in l. si filiusfamiliâs §. 1. in fi. ff. de verborum obligationibus: Respectu Iuris realis fructus sunt fundi, respectu vero personalis non item.

Quamuis maior pars anni) Certū est extantes adhuc fructus, & vt intelligi conueniens est secundum subiectam materiam, pendentes adhuc, quiq́ à solo separati nō sunt, partem esse fundi, l. fructus pendentes ff. de rei vindicatione: eaq́ ratione fieri, vt ad

vt ad alium pertinere nõ pcßint quam qui ipſe Dominus fundi ſit, vnde hoc loco commodè & perele-ganter ab Herennio reſponſum eſt, fructus qui poſtacquiſitum ex cauſa fideicommißi dominium ex terra percipiuntur ad fideicommiſſarium pertinere, nec referre quanto tempore fundus reſtitutioni obnoxius ab hærede poſſeſſus ſit, fructibus adhuc pendentibus cùm dominium ſemel fideicommiſſario acquiſitum ſit.

L. 43.

Ratio huius capitis eleganter expoſita eſt ab Vlpia. dicente, cùm in priuati ius ſuccedit fiſcus priuati iure pro anterioribus ſuæ ſucceßionis temporibus vtitur: cæterùm poſtquã ſucceßit, habebit priuilegium ſuum l. fiſcus ff. de iure fiſci.

Quæ in ſtipulationem) Generaliter vſuræ citra nodum ſtipulationis non debentur l. quamuis C. eod. vt ex mutuo non debentur vſuræ ſtipulatione non interpoſita, quippe dans mutuum cùm potuiſſet hoc officium omittere, nequaquam intelligitur plus velle recipere quàm quantum dedit. Cæterùm an licitum ſit ſtipulari vſuras, hîc repetendum eſt, ſuperius quidem de hac quæſtione aliquid dictum eſt, vicißim tamen dicendum explicatius (δὶς γὰρ καὶ τρὶς δεῖ λέγειν τὰ καλὰ teſte Platone) Et quidem plures diffitentur ex mutuo licere ſtipulationem vſurarum facere propter dictum Chriſti, date mutuo, &c. ſed his non ſubſcribimus continuò cùm vſura ſiue reditus qui ex pactione non fallaci debetur, nihil mali in ſe habeat, ecce c-

nim grande vitiũ (si Dijs placet) numero tibi 100. & tecũ stipulor vt ex reditu eius pecuniæ præstes tributum alij cuidam, quod ego pendere debeo, fortè ex aliquo meo agro l. Titius ff. de præscriptis verbis. Iam quis sanæ mentis & boni iudicij hanc vsuræ siue reditus stimulationem si modum legitimum non transcẽdat, iniustam existimabit? rixentur igitur qui volent, tutum est vsuras stipulari legitimas etiam citra conscientiæ læsionẽ. Diximus ad hæc superius & iterum oportunè, quod omnes illi qui collocant pecuniam in alienum agrum, quẽ ita sibi obligãt data certa summa pecuniæ, vt quotannis inde capiãt aliquot aureos, vel aliquot malderos tritici, hordei, &c. vsuras in ingressu stipulentur, quod hodie fit per totum orbem Christianũ licitè & vsitatè, quo sensu accipimus vsuras pro reditibus & fructibus l. vsuræ supra de fructibus l. alumnæ ff. de adimendis vel transferendis.

Illud memenerimus hic vsuras aliquando deberi citra stipulationem, idque bifariam, nempè ipsa conuentione & ipso iure propter moram, & quidem ipsa conuentione & lege pacti, vel cùm pignus à debitore datum est ex l. si vsuras & l. pignoribus, Cod. eod. quod ipsum tamen intelligendum est, si modo non tantum pro sorte, sed etiam pro vsuris nominatim pignus datum sit ex l. per retentionem Cod. hoc titulo.

Ipso vero iure vsuræ debentur propter moram, veluti si mora in soluendo fideicommisso vel pretio

rei

rei venditæ, vel locatione, vel similibus casibus commissa sit, Vlpianus. Nam etsi ex mora fructus vsuræque accessissent, l. generaliter dicimus §. proinde ff. de fideicommissa. libertatib. Huc respexit idem doctissimus Vlpianus inquiens, dum vsuræ non præstantur si in stipulationem deductæ non fuerint, aut si talis contractus fuerit, in quo vsuræ deberi potuerint, etiam non deductæ in stipulationem, l. ait prætor parag. præterea ff. quæ in fraudem credito.

Hîc animaduertendum quid sit ipso iure deberi vsuras, ipso iure, hoc est, ex iure quod vsuras propter moram deberi ordinauit, & notum fecit, id quod latinè ipso iure dicitur, exponit id etiam alibi D. Bernhardus à Rey iurec. clariß. Ita dicimus in actione tutelæ veniunt vsuræ ipso iure fauore pupillorum. Huc addendum quod fructus qui veniunt in iudicium aut officio iudicis, aut iure actionis debentur, officio iudicis si sint percepti post litem, quia percepti ante litem, veniunt iure actionis, & non quasi acessio, sed quasi sors.

L. 44.

Pœnam pro vsuris stipulari) Hæc sunt etiam in l. cùm allegas C. hoc titul. & tradidit Harmenopol. lib. 1. Epit. tit. 10. de nudo pacto, neque fideiussor etiam hoc casu obligatur l. cùm l. ff. de fideiussorib. At magna est differentia inter pœnã & vsurã, pœna infertur ob morã, vsura etiã ob lucrũ, Item pœna infertur semel vsura sæpius vel singulis

bus, quod calendis? Item stipulatio pœnæ est certa, vsurarum incerta, de vsuris datur condictio incerti, de pœna certi l. vbi autem §. penult. ff. de verborum obligationib. vel dic, differentia colligitur ex spacio temporis, secundum quod vsura mensuratur, pœna non item, sed secundum quod conuenerit inter partes, aliqua existente vel deficiente conditione, vt vel statim vel quandocunque placeat actori, agatur ad pœnam, dici potest etiam per additamentum æquipollens euidenter declaratiuum, vsura pendet ex vsu quamque vsus diuturnitas parit, estq; quasi vsus consumpti precium & æstimatio, at pœnam successus & diuturnitas temporis non parit, sed contumacia & instabilitas fidei in debitore reo, vide l. non solum ff. de liberatione legata l. grege in fi. ff. de pignorib. &c.

Proinde sæpe pœnam stipulamur, quæ stipulationi addita circumscribit id, quod eius nomine quod interesse poterit, peti potest, quoniam plerunque vt Venuleius ait, difficilis est probatio eius quod interest, l. fi. ff. de præto. stipula. §. vlt. Inst. de verb. obligationib. ob eamq; causam non amplius inspicitur quid intersit, hoc enim in conuentione definitum est, sed quæ sit quantitas & conditio stipulationis, aut quantum conuentum sit, vt in hoc res ista non sit dissimilis iuramento præstito super aliqua controuersia, in qua non amplius quæritur, an debeatur, sed an iuratum sit, quod est in praxi vsitatissimum, ex l. non erit §. dato ff. de iureiurando: Et quidem imprimis quod diximus a

deo ob-

deò obtinet, vt quamuis nihil intersit, pœna tamen conuenta vel quæ stipulatione comprehensa est, debeatur, vt si in eo eius nihil interest ita factum esse si aliter factum sit, quàm vt pactione comprehensum est, committatur stipulatio l. stipulatio ista §. alteri ff. de verbo. obligationib. Hinc haudu biè factum est, vt quemadmodum id quod interest probare necessarium habetur, cùm securitate niti volumus, pœna plerunque ad euitandum periculū eius quod interest nominatione exprimitur l. vlt. ff. de eo quod certo loco l. nouissima ff. rem ratam haberi, &c.

Porrò comprehensa est in hoc capite vna species eius quod interest, de cuius summa & integra & quantacunque futura est inter partes conueniri solet, & hæc in iure vt hîc & alibi, pœna vocatur d. l. vlt. ff. de prætor. stipula. l. procurator ff. ad exhibendum, & quanquam illa id quod interesse possit terminet & deliniare videatur, tamen quia in fauorem adiungitur, nunquam contra stipulatorem reflectitur, adeò vt si paratus sit probare quanti sua intersit, admitti debeat. l. prædia ff. actionib. empti l. si quis à socio ff. pro socio. Ac in hoc stipulanti pro lest, quod quamuis minus intersit, debitor tamen tergiuersationem facere non possit, quo annus ad solutionem pœnæ conuetæ astringatur, seriatimque si nolit & contumax sit, condemnetur.

L. 45.

Illos tantum quos suis operbus) Admonendus

est lector hoc loco, fructus distingui & gemino modo accipi, quosdam esse naturales, quosdam verò industriales, sicut per expressum hoc in capite colligitur, vt eo nomine vituperandi non sint, qui hãc distinctionem apertissimè retinuerunt: alias enim vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: Naturales ij sunt, qui sponte naturæ proferuntur, quibus hominis industria non dat initium, vt de pomo & sylua cædua per exemplum hic dicitur. Huc facit quod Marci 4. capit. scriptum est, Terra vltra fructificat: Item, Terra malas herbas nunc gignit & vbere pauco, vt quandoque feci ver sum: Industriales verò dicuntur, quos citra hominis operam industriamq́ terra non proferret, vt segetes & fruges.

Vel ex sylua cædua) Sylua cædua quæ sit, habetur in l. sylua ff. de verborum significat. Estq́ illa, quæ cæsa repullulat ex stirpe vel radice, vt Seruius ait, diciturq́ cædua ad glandariæ discrimen, quanquam etiam interdum glandaria cædua sit l. cum manu sata ff. de contrahenda emptione. Cæterùm cæduus a, um, à cædendo, hoc est, scindẽdo dicitur, vnde cædua sylua dicta est, quod illius arbores scindantur vel lignorum vel materiæ causa, adde l. ex sylua ff. de vsufruct. Galli vocant hanc syluam bois tailz.

Sicut cuiuslibet bonæ fidei possessoris) Conspicimus in præsenti scriptura, æstimatorem fuisse Pomponium, quod fructus percipiendo vxor vel vir bona fide ex re sibi donata, illos tantùm faciat

suos

suos quos operis suis acquisiuerit, veluti serendo, sed si pomum decerpserit, vel ex sylua cæciderit, non fit eius, sicut nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris. Quæ verba diligenter ponderanda & perpendenda sunt, & ratione id confirmare videtur, quia non ex facto eius is fructus nascitur. Ex quib. verbis prouenit & conflatur, naturales fructus qui sine opera eius proueniũt, non esse bonæ fidei possessoris.

Antinomia.

Huic sententiæ Paulus æquè grauißimus auctor ex diametro refragatur in l. bonæ fidei emptor, ff. de acquired. rerum domin. inquiens; bonæ fidei emptor non dubiè percipiendo fructus etiam ex re aliena suos interim facit, non tantùm eos qui ex terra & diligentia eius proueniunt, sed omnes: deinde addit rationẽ, quia quod ad fructus attinet loco domini penè est. Probatur igitur ex ea lege, bonæ fidei possessorem, non tantùm lucrari fructus, quos nostri DD. industriales vocant, sed etiam naturales, vel eos qui sola natura operante absque facto & opera sine industria hominis proueniunt & nascuntur, (non negabis tamen fœlicius & copiosius maiorią; cum vbertate eos ꝓuenire, si industria hominis accesserit, quia duo vincula sunt fortiora vno, & virtus vnita fortior §. sed hodie Institutio. de adoptionib. nam si aliter statuamus, offendemus Philosophos & rerum naturalium Scriptores, quod esset perquam ridiculum) quod patet cùm generaliter dixerit Iureconsultus, omnes eum lucrari, quod signũ seu iudiciũ insinuat notam vniuersalis, quæ nullos

excludit iuxta axiomata Dialecticorum, & est in l. Iulianus ff. de legatis 3.

Conciliatio Hoc ipsum quod hoc loco Pomponius introducit per hæc verba, Nec cuiuslibet, non denotat id quod nullius, sed verius alicuius bonæ fidei possessoris, alicuius verò non, veluti cùm proferimus, non omnis contractus accipientem obligatione deuincit, Ergo aliquis existit qui obligationem introducat l. non omnis ff. si certum petatur, & non quælibet exhæredatio filium submotum efficit, Ergo quædam vtpote rectè & ordine introducta, eum excludit l. non putauit §. non quæuis, ff. de bonorum possessio. contra. tabu. ita non quilibet sine delectu & passim bonæ fidei possessor appropriat sibi naturales fructus, Ergo quidam est qui faciat, vt in d. l. bonæ fidei, qui contrarium censent magis astutè, q̃ verè loquuntur. Nã huic solutioni nisi cauillis quibusdam pertinaciter inductis, occurri non potest, locupletissimus & grauissimus auctor est Iason in l. Nesennius §. fundum ff. de re iudicata, imò & Bartol. lucerna & speculum Iuris Ciuilis dictus in l. ex diuerso ff: de rei vindicatione cum Iacob. Aretin. & Oldrando astipulatur concludendo, bonæ fidei possessorem fultum & munitum iustissimo titulo, tam naturales quàm industriales suos facere, sed similis qualitas & dispositio simpliciter intellecta non est in præsenti casu, vbi si in facto eueniat præsumitur titulus iniquior. Attingit etiam de his quædam I. C. Stephanus Forcatulus Blitirensis in penu Iuris Ciuilis, aliam solutionem

vide

vide apud Ioannem Bello. Tholosa. in quarto contrario Antinomiarum, alij aliter conantur soluere, difficilis scopus est Gordius ille nodus, si quem contingat in actu. Interim tibi optime lector commendo, vt rectè discas dijudicare solutiones, nam pleræque sunt magis coniecturæ instabiles, quibus nemo niti cum fructu potest, quàm veritatis non fallax & erronea expositio: Iudicium facere potes, cùm dicunt plerique glossarij, vel dic, vel dic, vel dic, vt Iason deducit, vel dic secundum Salycetum, vel dic secundum Bartolum, vel dic vt Alexander, quemadmodum non semel Accursius summas summarum in solutionibus facere videtur, vt iam manus vni sententiæ dare videatur, nunc contra accingi, nunc hoc in medium relinquere. Sed quæ est hæc inconstantia? Ecce quid dicam breuiter Barto. loquitur quandoque pugnantia, cæteri sæpissimè, quo nihil potest esse vitiosius, vt & legimus Dydimum quo plura scripsit vix vllus, sugillatū fuisse suo tēpore, quod semel haud sibi cōstitisset quiddā repudiās vt fabulæ pprius quod aliàs ex historia tanquam sit gestum petijsse se confirmat, teste Decio in l. nemo potest mutare ff. de regulis Iuris, & ibi per additame. l. eos C. de mod. mul. vnde verissimè de illo dici possunt, et de similibus hi versus à nobis compositi.

Pugnat is ipse suo secum qui dissidet actu,
Errat & à cunctis, secum propria arte reluctans,
Odi prudentem malè qui sibi prouidet ipsi,
Propositiq; tenax in eo constantia mentis
Exulat, errorem sua per præcordia nutrit.

Deploratio poetica infirmitatis humanæ.

Inq̃ vijs modò in hæc, modò in illa volubilis omnem
Prospicere euentum toties aspirat, at æger
Labitur, O metæ certum contingere finem
Quanta salus homini dum lumine vescitur isto.

Sed his nulla certitudo veritatis subest, quippe eius quod multipliciter exponitur, ignoratur veritas, volũt tamen D D. eã esse opinionẽ in gloss. certiorẽ, q̃ postremo loco ponitur, quasi vero locus faciat bonitatem opinionis alicuius, quæ res nõ leuiter multos dubitare facit, quis enim illi crederet q̃ volet ius corrigere, ex quo omnia corriguntur, quod videntur illi facere, qui adferunt peruersiones potius legũ quàm expositiones, vt Iustinia. dixit: sed quoquomodo se hæc habeant, seruiendum est temporibus, foroq̃ itẽ vtendũ. Quod cùm ita sit standum mihi duxi veterum decretis, ita tamen vt veritas semp̃ sibi p̃cipuum locũ vindicet. Sed hæc hactenus, ad p̃positum redeamus, neq̃ enim disputandum putat Ioannes Andreæ aduersus veterum infrugiferas sententias, & qui hoc fecerit, non videri indignum reprehensione in addit. Spe. tit. de loca. §. nunc aliqua ad versicu. 241. Iason in procmi. feudo. numer. 33.

Antedictis quæstio vicinissima est quæ sæpe in foro occurrit, an si quis hoc tempore non habeat titulum suæ possessionis, & tamen seuerit, elaborauerit, faciat fructus suos? ad quod dicendum, fructus industriales die mit menschen vñ hülffe der natur gewirckt werden/die sindt eines jglichẽ besitzers/Er habe dañ einẽ titulũ, ankunfft od

nicht/

nicht/vnd machet die sein eigen *de quo per Speculum in tit. de fructib. §. 1. versicul. in Industria: lib.* vnd darumb sind die früchte/Korn/Weitze/Gestern/öl/Wein/rc. allein des so sie gepflantzet/geseit/vñ gearbeit hat/*accedit quod quilibet præsumatur habere titulum bonum, nisi probetur contrarium.*

L. 46.

Coniunge l. fruct. ff. solut. matrimon. ratio autem huius capitis pendet ex dicto, Id bonorum cuiusque esse intelligitur quod ære alieno deducto superest l. non possunt ff. de iure fisci.

L. 47.

Accipere iudicium hîc accipitur, adire iudicem, seq; coram eo defendere l. 2. §. 1. ff. si ex noxali causa agatur, & est in l qui sine, ff. de regulis iuris: iam præ se ferens iudicij admißionem, cùm videatur habere exceptionem à naturali æquitate non abhorrentem, in mora esse non censebitur, Ita si quis seruus habeat dominum paratum se defendere, licet pauperem liberabitur vinculis l. 2. ff. de custod. & exhibition. reo. Ac generaliter paratus accipere iudicium super re dubia & controuersa, nondum videtur esse in culpa; cùm hoc quod pendet non sit pro eo quasi sit l. is damnum, ff. de regulis iuris, & per consequentiã nec in mora esse videbitur, & hoc ideo, ne præiudiciũ fiat reo, quoad res delibe retur & sẽtẽtia definitiua expediatur, arg. l. vn. in pri. ff. nihil innouan. appe. interpo. Integer enim

statùs

ſtatus videtur negocij controuerſi proteſtatione facta ad alium iudicem. Nec conſideramus hîc an admittere cauſam poßit, ſed iuxta præſentem intentionem rei qui fauorizantur. l. fauorabiliores ff. de regul. iur. procedendum, nec etiam id damnoſum eſt & periculoſum futurum actori, qui ſi fruſtratio in Reo conuento animaduerſa fuerit, habet auxillum petendi vſuras totius moræ præteritæ, quibus poterit conſulere ſuæ indemnitati, l. maritus infrà hoc titul. Ac fortaßis victoria potiri & obtinere, vel gratia cauſæ, vel iuſtitia, vel legis auxilio poterit, l. denunciaſſe, circa fi. ff. ad l. Iuliam de adulter. ſtatuendum itaque quod reus paratus accipere iudicium in mora non ſit, non magis quàm qui prouocauit nondum damnatus videtur, l. 2. ſ. cùm ff. de pœnis.

L. 48.

In hoc capite ex re mora diſcernitur, quod per aduerſarium mulier impedita eſt, quo minus peteret vſumfructum l. 23. ſup. eod.

L. 49. & vlti.

Coniunge l. fructus & ibi notata ff. de regulis iuris.

Aphoriſmi recapitulationis generales centum, ſummam vſurarum doctrinam complectentes.

1. Vſuræ vocabulum latè accipimus propriè & impropriè pro omni acceßione ad rẽ quamlibet, ea acceßio ſi fieri non debeat, aut nimis magna ſit nominanda eſt exceßiua fœneratio. 2. proprè quidem vſura habet locum in ijs, quibus eam iureconſulti

certè

certè plus mille locis asscripserunt, impropriè in a-
lijs quoque speciebus ponimus lucrum spectantib.
3. Ex ea causa referimus vsuras ad mercaturas,
cùm & illæ sicut fœneratio intentæ sint in quæstū
contra communem opinionem. 4. Nec valere ob-
iectionem plusquam manifestum est, mercatura ha
bet lucrum ex labore, fœneratores non laborant, er
go &c. cùm illa & illi non sine labore & quærunt
& quæsiuerunt pecunias & lucrum. 5. Propter
præcedentia dicimus argumentum rectè sumi ab v-
surarum excessu ad aliorum contractuum abusum,
qui et in his & in illis est pœna dignissimus, in gene
re congruentiam esse non est dubium. 6. Ex eodē
fonte omnem auaritiam & delicta commissa circa
pecuniam ad quasi vsuram accommodamus excessi-
uam tamen. 7. Tam latè etiam extendi doctrinā
vsurarum vt intelligi nequeat sine plurimorum ad-
ductione exemplorum, quibus vtuntur Iureconsul-
ti. 8. Hoc commodè posse procedere, si Tituli de il
lis scripti integrè animo cōprehendantur per Theo
remata mentis non fallacia. 9. Assequi verò re-
quisita facilius quis poterit, si in ijs faciat per ex-
pressum distinctionem multarum circunstantiarū,
vt personæ, causæ, loci, temporis, quantitatis, quali
tatis, &c. 10. Hæ quippe magnam vsurarum di-
uersitatem gignunt, & rem expeditius si obseruen
tur intelligendam animi oculis exhibent. 11. Sic
& vsurarū variæ species annotandæ veniunt pro-
pter eandem causam, aliæ earum spectant lucrum,
aliæ pœnam, aliæ compensationem, estq; differētia
inter

inter has. 12. *Quod sic patet, stipulari pœnam tutius & securius est, propter dubium interesse, quod probandum venit si committatur, pœna apposita non item.* 13. *Aliæ etiam vsurarum fortius debentur alijs, vt quæ ipso Iure debentur legibus ita suffragantibus.* 14. *Plerunque verò vsuræ referuntur ad legata, fideicommissa, hæreditatis petitionem, vtpote ad contractus bonæ fidei, vel quasi contractus ad stipulationem vt ad strictum iudicium, ad res iudicatas ad id quod interest, veluti moram.* 15. *An verò Antichresis propriam vsuræ qualitatem habeat, Item Chyrographaria vsura ex ijs quæ supra diximus, animaduertere poteris.* 16. *Item permutationem nummorum mercatoribus grandioribus non infrequentem, si quid tale Antichresis patiatur prætermittimus propter eandem causam.* 17. *Olim etiam vsuras retulerunt ad vestimenta, vasa, schyphos, & id genus similia latißimo significatu, qua in re mihi videntur nimis auari fuisse, contra veterum opinionem.* 18. *Et per hoc etiam hodiè aliam esse rationem vsurarum, quæ ex mora veniunt, quàm apud veteres Iureconsultos, qui in ijs statuendis seueriores fuerunt quàm nostrates, quod certè mirum est.* 19. *Quippè hodiè mora tam præcise non curatur, in qua si verè damnum contigerit semper deterioris est conditionis creditor quàm debitor, propter taxationem Iudicis qui parcit Reo.* 20. *His annectendum, cùm principaliter vsuræ ad moram referantur, & propter eam, teste Paulo, infligantur, propter bonum publicum*

toleran-

tolerandæ sunt. 21. *Quæ dictæ vsuræ ex mora descendentes nomine tantùm apud imperitum vulgus non re odiosas esse statuimus contra osores vsuræ vniuersales.* 22. *Confirmantur superiora, quod vsuræ vocabulum applicemus ad reditus anniuersarios intellectu verißimo, quibus nihil frequentius in mundo.* 23. *Hac de causa, nisi pleraque quæ in libris Iureconsultorum de vsuris traduntur, adducamus ad reditus præfatos, & similia nullum nostro tempore vsum habebunt consistentque in nuda Theorica & litera velut in abstracto sterili.* 24. *Quopropter etiam interpretes moderni plerique mihi errare videntur, exponentes vel saltem volentes doctrinam de vsuris, cùm earum vsum prætermittant in reditibus annuis ponere.* 25. *Et qui hoc non percipiunt, neque perceperũt, cùm & id Scæuola alibi docuerit sine vsuris competentem adhuc ignorant nolint, velint.* 26. *Prædictas sæpè vsuras cùm ausi fuerint antiqui accommodare ad vestes, calices, caligas, &c. vt supra posuimus, ad mercaturas atteximus, quod ab alijs non est positum euidenter vel timidè omissum.* 27. *Iam cùm mercatura licito iure hodiè frequentetur cur abolita sit à Pontificibus vsurarum substantia rationem perpende.* 28. *Et id maximè cùm negociatio hominum inclinet ad vsurarum exercitium, quasi isto modo etiam societas hominum conseruari ex parte videatur.* 29. *Quod ne inconstanter dici appareat, asserimus etiam vsuras Iure gentium introductas, & ab hominum commercijs secundum*

dum aliquam speculationem nunquam diuisas aut separatas fuisse, quemadmodum neque pacta .30. At cùm duo rerum genera perhibeantur à Philosophis bona scilicet & mala, quasdam vsuras dicimus bonas, quasdam verò malas legibus ita ordinantibus. 31. Sed in vsuris bonis contingit repetitio fructuum & causæ quæ est iustissima, eam autem intelligimus rei plenariam restitutionem, vnde petere causam suam & fructus est exigere vsuras. 32. Hinc etiam verba illa collocata sunt à iureconsultis sub titulo de vsuris, vt omnis causa restituatur, l.38. hoc titulo. 33. Coniungenda etiam esse hæc vocabula in percipiendo vero vsu vsurarum censemus, vsura, accessiones, causa, fructus, mora, &c. ex consilio tamen Papiniani, &c. 34. Ex quibus manifestum fit, vsuras collocandas esse inter fructus qui non vno modo intelliguntur, & hoc significatu veteres etiam vsuræ vocabulum accepisse leguntur. 35. Ex his etiam euidens redditur plures esse vsurarum species, nec ad vnam simplicem mutuationis formam restringendas, vt leuiter docti Theologi existimant. 36. Aliquæ etiam earum diuersitatem habent propter differentiam & qualitatem personarum. 37. Hoc adeò verum est, vt plerisque non liceat eas exercere de honestate propter conditionem personæ. 38. Nec tamen hoc torquendũ est aduersus vsuras cùm hoc potius ad quorundam vocationem referendum putem, ne videlicet diuinus cultus aut professio debita impediatur, aut familiæ

miliæ honestas non clarcat. 39. Harum vsurarũ lucrum quædam sectantur pleræq; etiam sine mora infliguntur, quod mirabile videtur propter Pauli sententiam dicentis, vsuras nõ infligi propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium. 40. Causas quoque plures esse ex quibus debeantur certè iuris est, quas omnes hîc assumere prolixius esset. 41. Vt autem in mutuo finiuntur vsuræ certo tempore, vt præscriptione quandoque 30. annorum, ità certo quoque tempore conuentionis debentur, & tam ante litis contestationem, quàm post eam non desinunt deberi. 42. Quod tamen attinet ad finiendas vsuras distinguendæ sunt actiones: aliud obseruatur in actione personali, aliud in reali vbi pignus interuenit, nam fructuum & vsuræ petitio omnis in actione personali tollitur 30. annis in hypotheca 40. l. intelligere C. de luitio. pigno. l. cùm notißimi, §. 1. C. de pscriptio. 30. anno. 43. Quod idem etiam sic manifestius fiet ob vsuras debitas hypotheca retineri potest, etiamsi personalis actio perierit, verùm vtraq; sublata, tolluntur etiã vsuræ. 44. Hoc quoque verum est, quod vsuræ non fauorizentur, vnde si in earum stipulatione modus certus non adijciatur, nihil valet quod agitur. 45. Eademq; de causa si dubiæ reddantur, debeantur an nõ debeantur, cõtra eas pronunciari consueuit: neque enim fauendum est vbertati vsurariæ. 46. Certis tamen casibus hoc secus est propter personas, quorũ institutum vitæ est, vsuras exercere. 47. Sic etiam ex

pacto non debentur generaliter, nisi in causis fructuum fauorabilibus, & vbi precium periculi constituuntur. 48. Ac licet in his grandiores communibus & vulgarib. concedantur, eius tamen probabilis ratio allegatur, vtilitas nimirum hominũ. 49. Interim verò nemini nocere debet vsurarum exercitiũ, quod alius facit nisi lucri mediocris causa, aut moræ respectu, vel pœnæ appositæ, in quib. nemo videtur damnum sentire, quod sua culpa sentit. 50. Quamobrem generalem in vsuris exercendis & excutiendis cautelam, potius vnam maximam & velut auream Regulam summa ope, summa item Catholica religione tenendam, cùm in his animæ periculum versetur, arbitramur, quod vsura quæcunque tandem sit, lædens proximum nimis duriter & sine causa est censenda, est omnibus modis iniqua. 51. Quo posito si quandoque nimium crescere incipiat vsura ex pactionibus, stipulationibus, &c. redigenda erit ad æquitatem ne Philosophos, qui de vsuris scripserunt, offendamus. 52. Quippe multis modis grauissimè in his errari consueuit, & quidem tam enormiter, vt pius animus horrescat meditãs deformia facta. 53. Ecce enim quondam labentibus annis ita impegerunt quidã, vt exactores vsurarum auarissimi digna commiserint extremo capitis supplicio, qualis fuit Scaptius Procurator Bruti. 54. Hinc etiam homicidis tales æquiparantur, dicunturq̃ iustis epithetis sanguisugæ, hirudines, vultures, cimices, & quid aliud est excellentissimas vsuras exercere, quàm hominem omnibus expoliare, & mortiŝ causam præ

bere? 55. Hoc cõtingit, & quale sit cõspici potest in famigeratis fœneratorib, in quib. et hoc detestabile est, quod volũt videri alijs prodesse, cũ ipsi interim propriũ lucrũ amplectãtur duntaxat. 56. Vnde deploro talia mũdi fata: atq; vtinã verus vsus vsurarũ perciperetur, fieret id cum maxima hominũ vtilitate, quod equidem sperari posset, si nõ excæcarẽt plures cupidissima auaritia. 56. Hinc propter pessimũ abusum, & quidẽ horribilem, omnes boni abhorrẽt ab vsuris, ac digna epitheta maximis fœneratorib. indidêre, vt dictũ est. 57. Addũt etiã ratiões, quod nimirũ non sint alendæ tã sæuæ & prõptæ occasiones peccatorũ. 59. Inde eximijs & notorijs fœneratorib. pœnæ propositæ legũtur, & quidẽ non leues, vt infamiæ nota ex qua nõ vulgaria detrimẽta procedũt. 60. Quæ tamẽ pœnæ cõtinentur in Iure Canonico vsurarijs istis nobilib. pscriptæ hodie inter seculares nisi fortè in ea Italiæ parte vbi Põtifex habet Iurisdictionẽ vix ex millesima parte frequẽtantur. 61. Tolerãdos autẽ esse mediocres fœneratores, sicut & Publicanos, itẽ pxenetas & eius farinæ similes ppter negociationes hominũ magis multis placet, licet aliqui in contrariũ rixentur, non satis eruditè iudicãtes. 62. Aliquãdo enim & sæpius subsidiũ adferunt pecunia illa psenti, vt petitis bello magnis et illustrissimis dominis, quale summi Reges etiã sumpsisse legũtur. 63. Accedit quod fœneratores mediocres simul iure publico quod opus Dei est Prouerbiorũ 16. astringãtur. 64. Et quidẽ adferũt bonũ multis tanq; certa causa efficax non tan

quã cõcomitantia & obiter siue incidẽter. 65. Aua ritia temẽ exuperãs in illis reprehenditur, sicut ea quoq; in Monachis c. ex parte de constit. in Decretal. 66. Attamẽ in vniuersum abolere velle vsuras, quod fecit Basilius Impator, non est è Repu. vt neq; hoc factũ Imperatoris perstitit. 67. Omnia etiã dicta q̃ proferũtur de vituperatione vsurarũ, de excessu earũ intelligẽda esse statuimus. 68. Peccant enim valde qui modũ superãnt, idq; alijs indulgẽt ad depauperationẽ multorũ. 69. His consequẽs est, nec Principes quosdã rectè agere, largiẽtes Iudæis magna vbertate vsurarũ inter Christianos negociari, easq; exponere ad intolerabile lucrũ. 70. Neque concedimus de iure, licet ꝓh dolor de facto aliud contingat Iudæos exercere alios modos & grauiores vsurarũ, q̃ inter Christianos vsitatũ est, qui nunc mores Iudæorũ in exercẽdis vsuris incipiũt in multis locis discere, cõtra dominorũ maximorũ indulgentiã. 71. Quoniã omnẽ excessum, qualis est vsura vsurarũ, reijcimus, & quod tibi vis fieri in ijs vt id alteri facias, etiã atq; etiã optamus. 72. Vsus itaq; teneatur, tollatur abusus vsuræ, quã etiã propriè sumptã nullo modo cũ sacra scriptura pugnare, sed hanc diuersum de illa docere q̃ leges Romanæ, asserẽdũ est. 73 Neq; tamẽ in infinitũ vsuras aliter Theologicè, aliter ciuiliter accipim⁹, nisi Christianæ caritatis cõtẽplatiõe differẽtia magna ab innocẽtissimis ponatur. 74 Quietiã Christianũ esse suadẽt, ab initio vsuras in stipulationẽ nõ deducere, ꝙ & nos nõ diffitemur, ita tamẽ vt hoc relinquatur voluntatis nõ necessitatis. 75. Quippe vsuræ p̃scriptus modus tã licitè in

cōmercijs hominū seruari potest, q̄ vllus alius cōtractus. 76. Quod cū ita sit, Ius Canonicū rectius retinuisset verū vsum vsurarū, q̄ probibitis substituisset id quod interest, manemus tamen in supiori sententia, quantū ad hunc articulū. 77. Quibus adiūgendū venit, quod ius pfatum corrigēdo Ius Ciuile de vsuris prætermisit, quod erat pcipuū videlicet in legitimo earū modo astruēdo operā ponere. 78. Ob id etiā ius prædictū debuit potius renouare verum vsum vsurarum. 79. Vt interim taceā quod consuetudine contraria, q̄ vim legis obtinet, discessum fuerit ab eo iure, nisi tamen derogo sacro iuri Pontificio, vbi bene sentit. 80. Atqui nec hoc occultandū examen rectitudinis vsuras nancisci conueniens esse ex mora regionis, qua in re tamen hunc morem legibus præiudicare, aut potentiorem esse posse, nequaquam concedimus. 81. Consuetudinem quoq; quæ moris huius indistincta comes est magnam considerationem adferre in iustitia vsurarum perpendenda, asserimus. 82. Ita tamen vt semper subsit causa in illis, quam consuetudo excludere non potest, ne valētior vnquā ratione videatur. 83. Hæc tamē causa quandoq; lāguidior cōspicitur in earū cōdictione q̄ petitione, siquidē iure ciuili indebitè solutæ vsuræ repetitioni subiacēt. 84. Attamē ex pacto quāuis ex eo cōmuniter peti nō possint, solutæ tamē nō repetūtur pꝑter naturalē obligationē. 85. Hæc ius Pontificiū paulò aliter dixit, semp enim existimat indebitè vsuras solui cùm nullas ferè admittat, secus q̄ ius ciuile, ecce igitur maximā

differētiā inter hæc duo. 85. Ius Canonicū cōcedit repetitionē omniū vſurarū, ita tamen vt æqualitas ſeruetur in alterius tantundē mutui datione. 87. Diximus iā de repetione vſurarū, dicamus nunc de retētione earū quædā, vbi hoc certū eſt, ſi ſunt indebitæ pmiſſæ, poſſunt nō ſolui p retentionē. 88. Sed ſi ſunt pmiſſæ, non ſunt pſus indebitæ, ſed alioquo vſq; ſi ita cōtingat, quare ptextu nō eſt vtendū ſacræ ſcripturæ et iuris canonici. 89. Quoniā in vſuris nō licet ex parte fraudulenter actū expellere, et penitus annihilare, ita vt fœneratori immodicas vſuras ſtipulato pmiſſor illudat, nihil ſoluēdo, vbi decidēda legib. cōtrouerſia eſt. 90. Cui⁹ rei ratio poteſt eſſe, qa pati iniuriā nō eſt tātū peccatū, quātū facere, quāuis aūt hoc durū videatur, ita tamē lex ſcripta eſt. 91. Illatis et intellectis pcedētib. uerū cōcluditur eſſe, mediocres vſuras licitas eſſe, et pptea Ariſtotelis ſentētiā meritò dānari poſſe, qexiſtimauit exercitiū vſurarū eſſe cōtra naturā pecuniæ. 92. Quis enim tā agreſtis eſt vt dicere auſit, argentū vel aurū fructus naturales pgignere? quod vix ruſticus diceret. 93. Ex hoc errore Ariſtotelis poſtea multi aliàs docti cœperūt cōuitia iacere in vſuras, de quib. Iurecōſulti loquūtur. 94. Et pter hoc Ariſtoteles magis aſtutè ſcripſit q̄ verè de ſterilitate pecuniæ, quā qdā ſtultus ſeminaſſe legitur, credēs eā creſcere & augeri poſſe 95. Merces etiā non poſſunt fructificare, nihilominus tamē ex ipſis vſuræ & incremēta abſtrahūtur p negociationē. 96. Nō minus craſſus eſt error eorū, q in vniuerſum vſuras dānant, cū earū doctrinā nō integrè cōplectā-

tur. 97. *Ad saluandū quoq; eas dicim⁹ nō obstare dictū Christi, date mutuo nihil etc. cū hoc de naturali mutuo rectißimè intelligi posse videatur cū illis q̄ supi⁹ dixim⁹* 72. *thesi.* 98. *Addo etiā excessū vsurarū magis vitupare q̄ aliorū cōtractuū abusum dissonū esse, nec decere eos q id faciūt, cū in genere nullū sit discrimē.* 99. *Hos errores attingere necessariū est, sicut neq; vsurarū doctrina rectè intelligi potest sine pluriū argumētorū, q̄ aduersus eas verisimiliter flecti poßunt, refutatione, & commoda explicatione.* 100. *Hæc de vsuris Themata adduxisse sufficiat, nec enim benè docet, qui omnia docet:*

Sed satis aut plus est centesima Thesis in illis,
Quæ postrema vides, optime lector, erit.
Iamq; simul finire meos festino labores
Scribere, lassatis est quoq; grata quies.
Oportuna graues fouet intermißio curas,
Omnia sic vicibus sunt recidiua suis.
Hic meus iste labor fuit atq; industria, fructum
Qui volet inde ferat, cui placuisse sat est.
Zoilus inuidia laceretur vt ilia Codro,
Vtq; olim saxis præcipitetur humum.
Ordine quæ dedimus, quæq; ille recenset amato
Si placet, & frontem nec caperare velis.
Exiguus numerus stat candida corda ferentûm
Iudicij potior pars solet esse mali.
Ipse capesse bonos poteris quibus esse beatus,
Sunt tamen hi pauci nil nocet hoc, ama eos.
Sic Deus est solus dominans in numine solo,
In cœli veniet paucula turba polos.
Nam quia pars maior ruit in fera regna gehennæ,
Sic rota fatorum fertur in orbe suo.

COMMISSA ERRATA PER ANnotationem & numerum literarum Alphabeti, quo ſingula folia diſtincta ſunt.

*A.fol.7.fac.1.lin.3.leg.arbitrabor. B.1.f.2.li.
29.ſine. b.5.f.2.l.26.vſuræ pro iudicæ.D.1.f.2.
l.2.vſurarij pro vſurã leg. d.4.f.1.l.23.fit. d.6,
f.1.l.26.iniqui.d.7.f.2.l.fi.cum ſequen. fol.l.1.
leg.depravatio,& dele verbum videat. E. 3.f.2.
l.29.leg.vſuras. e.5.f.1.l.3.facite. F. 4.f.1.l.
16.qui.ibid.fa.2.l.5.ff.erit pro forũ.f.7.fa.1.l.
18.tunc. G.3.f.1.l.8.acceſſorium.g.4.f.2.l.23.
tranſcẽdere.g.6.f.2.l.27.in faciẽdo.g.8.f.2.l.2.
legi p̃iudicare. H.3.f.1.l.9.ſerius.& ibi.fa.2.l.
24.actione. h.4.f.1.l.19.quid.h.7.f.2.l.15.ex-
aminata.fo.ſeq.l.2.exactius.ibi.l.9.ceſſet. I.1.
f.1.l.18.interea. i.2.f.2.l.15.prælegauerat. i.5.
f.1.l.11.æquiorẽ. K.4.f.1.l.26.partitur.L.6.f.
2.l.5.cimices.& ib.l.17.dele Bethanienſis. L.5.
f.1.l.22.quot. M.2.f.2.l.2.ꝑ Deus lege lenis.m.
3.f.2.l.13.iurecõſultorũ.m.4.f.2.l.17.oblationẽ.
m.7.f.1.l.19.tolerabile.& f.2.l.5.poeticus.N.
3.f.1.l.8.leg.hoc nõ.ib.l.12.depenſurũ. n.8.f.2.
l.7.ob. O.2.f.2.l.6.deeſt vox,carere.o.5.f.1.l.
7.ꝑ qt.leg.vt,& tolle p̄cedens.Q.7.f.1.l.14.ſeu
ꝑ ſuis le.ibi.f.2ꝑ + pone ?.& ſtimulabit ꝑ ſimu-
lab.R.2.f.1.l.9.dixerũt.r.5.f.2.l.8.5.ꝑ 3. S.3.
f.2.l.29.ſpõſus erit. s.5 f.1. l.4.ſtatutũ.ib.f.2.l
28.vindicãs.s.6.f.2.l.10.deeſt wöll.& ib.l.21.
alicui. T. 1.f.2.l.6.ſtipulationem. t.2.f.2.l.1.
quot.t.3.f.1.l.28.minus lege pro annus.t. 6.f.1.
l.15.videatur.& ib.f.2.l.4.fauorizatur.ibi eti-
am li.8.auxilium.* B.4.

